
BENIZIS
ET THAVMATVRGIS
seu Vita et Miracula
S. PHILIPPI BENIZI
Ordinis Seruorum
Propagatoris.
L. Tintus Sculp.

BENIZIS
SEV
SACRVM POEMA
VITAE
S. PHILIPPI BENIZI
FLORENTINI

Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ Virginis Propagatoris, à Clemente Papa Decimo Sanctorum Fastis Adscripti.

LVDOVICO MAGNO
GALLIÆ, ET NAVARRÆ REGI
Nuncupatum.

AVTHORE

FR. GERMANO SARDO

Eiusdem Ordinis Doct. Theologo.

ADIVNGITVR APPENDIX THAVMATVRGIDOS, Seu Miraculorum eiusdem D. Philippi post mortem, ab eodem Authore, tùm ab alijs insignibus Poetis per varia Epigrammata descriptorum.

ROMÆ, Typis, & Sumptibus Nicolai Angeli Tinassij. M.DC.LXXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

LVDOVICO MAGNO
FRANCORVM REGI.

IVbentiſſimo animo Tibi, REX Chriſtianiſſime, Sancti Philippi Benitij vitam carminibus deſcriptam inauguro, quaſi tributarios laboris mei fructus, ac velut ſcaturientes riuuli ſtillas, quæ naturali, & ſpontaneo fluxu in vaſtiſſimum Magnitudinis, & poteſtatis Oceanum illabuntur. Illos à te Diuus ſibi pollicetur amplexus, quos olim Viterbi dedit ſuauiſſimos Philippus III. Galliæ Rex, dùm ille, ſummæ humilitatis indicio etiam ſupremam Eccleſiæ Tiaram ſibi oblatam, fugiens recuſauit. Quos & auxit in Concilio Lugdunenſi, cui vterque Philippus interfuit; quos denique fuſiùs patefecit Pariſijs, dùm ille eiuſdem Ordinis rebus, cuius Præſul Supremus lora regebat, incumberet. Tanti Regis in ſuam Religionem Munificentiam expertus, nec ignorans, quanta animi gratitudine, & beneuolentia iam Ludouicus Parens Sànctiſſimus eundem Ordinem in ſuo Regno exorientem ſuſceperit,

iure merito sibi Tuam videtur necessitudinē vendicare. Nec mirum, si suam in Te, in legenda tàm mirabili vita, concitet admirationem, ac familiaritatem, qui iam Te per tot Heroica gesta nouerit, in ijs, quæ ad publica contrà communes Christiani Nominis hostes Officia spectant, suis frequenter vestigijs institisse.

Ille siquidem Ordinis Seruorum Propagatoris Nomen adeptus est, vtpotè qui indefessis surgentem iampridem Cœtum laboribus ampliauerit, sacrisq; Legibus, & decretis curauerit instituere. Non solùm verò pro sui Ordinis incremento desudauit, sed & ipsius Ecclesiæ patrocinio, ac totius Reipublicę Christianę tranquillitati, dùm Guelphorum, & Gibellinorum factionibus quateretur, plurimùm decertauit; Summorum namque Pontificum Gregorij X. Nicolai III. & Martini IV. Authoritate munitus præcipuas Italiæ Vrbes diuturnis dissidijs laborantes mirifica loquēdi gratia, ac insuperabili mentis solertia ad stabilem demùm concordiam reuocauit. Non memoro celebres, quas de Hæresi Victorias reportauerit; ipsa fateatur Germania communem tot Prouinciarum salutem ardenti Philippi zelo debuisse, dùm grassantes in illis Re-

gionibus

gionibus Flagellantium peſtiferos ignes intrà biennium ſacris extinxit eloquijs, ciuilia bella compeſcuit, ac titubantia Rodulphi Imperatoris ſceptra ſuffulſit.

Non immeritò Tibi, Rex Potentiſſime, haud diſſimilia rerum geſta referuntur argumenta: fauſtam quippè, inuictamque Magnanimitatem quoties demiratus eſt Orbis, dùm nempè intrepidus in aperta vitæ diſcrimina ſępè ſępiùs irruiſti, dùmque tuo inter agmina iuri patrocinatus ad priſcos, debitoſque Imperij fines Dominium dextro omine ferè iam protendiſti. Te verò inuiolabili populos iuſtitia regere, ſummiſque legibus, & inſtitutis, ad iuſtam, atque laudabilem vitæ rationem excitare, quis auſit ambigere? Iam ſi æſtuans in Religionem Catholicam zelus attendatur, quis velociùs populis ab Infidelium multitudine oppreſſis, ac penè obrutis, quis inquam promptiùs, ac expeditiùs opem tulit? Indè ab imminentibus, quibus regna, & imperia inuoluebantur periculis, non modò eripuiſti, ſed & ferociſſimos, iam quaſi Victoria luxuriantes hoſtes, validiſſimis profligaſti copiarum pręſidijs. Iam ſub tuo pondere oppreſſa, fractaque gemit Hæreticæ prauitatis Audacia; quaſi

extrà

extrà regni limites aggressus es & fudisti; quamque sub imperio languentem tuo, mira sagacitate domuisti; quam denique indesinenti cura, & industria, à fibris propè auulsam in dies interire experimur.

Quæ cùm ità sint, inuictissime Rex, quis non simul, & Te fortissimum Heroem suspiciat, & Te Prudentissimum reuereatur Regem, quem Sapientissimum belli, pacisque Arbitrum totus Orbis agnoscit? Sed frustrà iam intrà breuiores Epistolæ metas tot immensæ vitæ insignia intexere contendo, quæ vel plura haud capere queant volumina. Hęc pauca, & inconcinna Tuæ Æquanimitati videantur sufficere, veluti singulare mei in Maiestatem Tuam amoris, & obsequij indicium, ac perenne S. Philippi Benitij monimentum; quem Tibi, Augusto Filio, ac Regiæ Familiæ, totique Regno, propitium in suprema Regis Regum Aula, adprecari non desino.

Maiestatis Tuæ.

Romę die 3. Iulij Anno Domini 1681.

Obsequentiss. Seruus, ac Subditus fidelissimus.

Fr. Germanus Sardus Massiliensis Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ Virginis.

SERENISSIMO
DELPHINO.

IAM quoque nostra iubet, LODOIX DELPHINE, Camœna
Concelebrare Tuæ sublimia culmina sortis.
Annuit ipse Tibi meritum Pœana Philippus,
Ore canam, Laribus quondam dilectus Auitis.
Francigenùm assurgit Magnæ spes altera Gentis;
Bellatrix iam Virgo nouas Tritonia palmas,
Cincturasque parat regalia Tempora lauros;
Regia Nascentis circundant Lilia cunas.
Spem, votumque virùm, Te primo à limine vitæ
Curia fouit ouans, & amabile pignus in ostro
Sidonio excepit, Patrios doctura triumphos,
Vexillisque Tuos victricibus ambijt Ortus
Miles, & in medijs strauit cunabula contis.
Mox vbi fixisti primis vestigia plantis,
Non Tibi segnitiem, molli nec marcida luxu
Otia, nec Genitor lusus indulsit inertes,
Sed noua per varios durauit membra labores,
Atque bona teneras exercuit Indole vires,
Imbuit & docilem facundo dogmate mentem,
Multigenoque auxit raras idiomate dotes.
Iam Lachesis diros superasti viribus ausus
Vrgentis; iam firma dabunt Tibi stamina luces,
Et Mors tela suis condens intorta pharetris,
Aurea proscindet vix, ferà, licia falce.
Eia age, difficiles vitæ metire salebras;
Te decus egregium formæ mouet, atque iuuentæ,
Te Reges Ataui, Patris Te Dextera factis,
Et monimenta animis, celebranda audacibus implent.
Sed dùm tanta vides Herois gesta Parentis,
Nonnè tot ex cumulis flagrant præcordia rerum,
Zelus & immittit natiuus in ima virentem
Motum animi, tantos cupidi simulare triumphos?
Magnanimos æstus, virtutis & æmula corda
Agnosco, video pronos ad Martia sensus.
Fertur Alexander, fluerent dùm forte secunda
Arma Patris, lætos inter gemuisse Clientes,
Nil sibi vincendum, Patria virtute relinqui.
Cùm Pater innumeras armis subiecerit Vrbes,

Cùmque

Cùmque tot imperijs pugnans adiecerit oras,
Præbueritque viris palmarum mole ſtupores,
Fudiſti querulo tales è pectore voces.
Quod mihi reſtat opus? quæ prælia? dùm meus omne
Militia per, Genitor compleuit facta, trophæum,
Prodigijſque nouis totum tremefecerit orbem?
O Pater vſque adeonè Puer? iam clara Iuuentus
Irruit in caſus, & aperta pericula belli,
Infractoque animo trepidos irrumpit in hoſtes;
Quid faciam? ludoſne dabo? ducamne choreas,
Deſidia, latamque trahens inglorius aluum?
Arma mihi concede pater, da protinus arma,
Cur annos obicis? pugnæ cur arguor impar?
Non maior me Pyrrhus erat, cùm mœnia ſolus
Troica concuteret, Patremque referret Achillem.
Si Tua mi virtus omnes Heroica palmas
Abſtulit, haud animos rapuit; ſpes vna ſuperſtes,
Vna apices virtus, & Auiti pandet Honoris;
Inueniet domitura nouos mens bellica mundos.
Talibus ardebant frendentia pectora dictis.
Iam Tibi maturos ætas prouectior auſus
Spirat, & alta Tui monſtrat veſtigia Patris.
Iam Tibi conſilijs cùm detur ineſſe ſupremis,
Imperijque Patris ſummis attendere rebus,
Hunc ſequere, hoc, te non lædet ſors vlla, Magiſtro;
Non ille eſt pacis, non belli neſcius artis;
Poſtponenda tamen duri ſcit fulmina Martis
Tranquillæ, quam quiſque velit Rex quærere, paci.
Ipſa cient Reges ob dulcem bella quietem,
Ipſeque bellorum miſcetur ad otia Turbo.
Intereà Muſam ne dedignare canentem,
Si tenuis non grande æquat fòrs Nomen Auena,
At voluiſſe ſat eſt; animum, non Carmina pende.
Fortè dabunt luces, meliores edere fœtus.

AV-

AVTHOR LECTORI.

ADmirabilem Vitam S. Philippi Benitij Florentini, Ordinis Seruorum B. Mariæ Virginis Propagatoris, à Clemente X. Sanctorum Fastis adscripti, Archangelus Gianius Florentinus in eiusdem Ordinis Annalibus, multique alij Scriptores tùm Latino, tùm Italico, tùm etiam Gallico Idiomate elegantissimè soluta oratione descripserunt. Quia verò nullum hactenùs viderim heroicum Poema completum, quo egregia Viri gesta ventilentur; stimulante zelo, seros vitæ dies sacro labori, licet vires exuperanti, lubens deuoui. Satis quidem noui me in scribenda Sancti vita, quibusdam coerceri limitibus, nec mihi liberiùs solitis Poetarum licentijs vtendum esse, proindeque fabulas explodendas, vocabulisque parcendum, quæ prophano Poeseos vsu inoleuerint. Quia tamen languet huius artis stylus nisi figurarum opibus, & nitoribus adumbretur; in opem vocaui apostrophen, prosopopeiam, descriptiones, comparationes, & verisimilium rerum, historiæ non repugnantium inuentiones, vt Lectoris animus exhilaretur, & nauseam non patiatur.

Ne autem germana historiæ series cum commentis (etsi summorum Theologorum, & Poetarum iudicio iam approbatis) confundatur; necesse duxi singularem de ipsis mentionem adijcere, vt vera à verisimilibus distinguantur. In primo igitur nostræ Benizidos libro fingo Infantes in cælo collocatos exorare Christum, vt Philippum Infantem ipsis in cunis miraculis coruscantem in suum consortium euehat, ne sæculi pompis eius innocentia temeretur, & pereat. Cùm verò tanta fuerit inter Philippum, & Religionem Seruorum connexio, vt hæc sponsa, ille sponsus videatur, vtpotè qui octodecim annis continuis summus Præsul Ordinem rexerit, eodemque anno, mense, ac die ortus fuerit, quo Religio; lib. 2. Ordinis exordium inserendum censui, vt Sancti vita magis innotesceret, resque lucidiùs patefierent. Introduco ergò loquentem B. Alexium ex stirpe Falconeria oriundum, vnumque ex septem Ordinis Patriarchis, inter quos singulari humilitatis indicio solus abnuit Sacerdotium, ipsumque comminiscor, dùm panem pro Cætu Sanario, Florentiæ emendicat, ad Iacobi Benitij Parentis Philippi ædes fortuitò diuertisse, rogatumque ab Albizo Consobrino in Consessu Vrbis Procerum ibi tùm familiariter colloquentium, vt Ordinis fundamina recenseret. Hic Albizus postmo-

A dùm

·lùm monachus factus in facro Seruorum Ordine, non mediocres virtutum omnium odores ſparſit. Illa fictio, ſicut alijs in libris, ſubſequentes, vt videre eſt, aliquam ab hiſtoria veriſimilitudinem mutuantur.

In 3. lib. Clariſſimus ex eadem Proſapia Falconeria, & ipſius met Alexij Patriarchę frater, fingitur regreſſus Pariſijs, vbi tùm Philippus ſtudijs incumbebat, ac retuliſſe Iacobo Benitio, mores, & artes, quas Philippus filius in vrbe Pariſina didicerat. In illa verò relatione amplificat ſolummodò, quæ in vera Philippi vitæ hiſtoria continentur.

In lib. 4. obijci poſſit, quòd Voluptatem, mundi delicias, cælique oblectamina Philippo oſtentantem, doctiorem fecerim, quam par ſit; ſed Voluptatem intelligo licitam, ſeù coniugalem, quæ mutuò exoritur inter partes ſacro coniugij vinculo coniunctas, fideique myſterijs apprimè delibutas.

In 5. lib. eſt alia fictio, Theologis, & Poetis, quos conſului, valdè grata: cùm namque inferni Spiritus multa iam moliti fuiſſent, vt Philippi in Religionem ingreſſum, & pietatem auerterent; certiſſimum videtur Cælum non defuiſſe ſubſidio, ac Philippi partes in tanto periculo conſtituti defendiſſe, vt optatum finem conſequeretur. Addo igitur ſomnium B. Bonfilij ex 7. Ordinis Seruorum Patriarchis, primi, in quo videt monſtrum, ſeù Dæmona narrantem ſibi excidia, quæ ex diſſidijs ab ipſo inter Guelfos, & Gibellinos concitatis, fecerat in Italia, rurſuſque à Principe Stygio in Thuſciam miſſum ſe iactitantem, vt belli incendia renouaret, ac Philippum Florentinorum Ciuium paci totis viribus incumbentem, vel corrumperet, vel ſaltem zeli, & pietatis conſtantiam eius frangere conaretur. Dùm Cacodæmon euanuit, Bonfilio tremefacto apparet Angelus à Summo Numine miſſus, vaticinanſque belli ciuilis per Philippum extinctionem, eius virtutes, & miracula celebrat, hortaturque vt ſtupenda Philippi, breuì ipſum conſulturi, viſa interpretetur, moxque ipſum Seruitanæ militiæ adſcribat. Amideus autem vnus ex ſeptem Ordinis Fundatoribus, Sanariæque Eremi Rector, narratum quaſi ſibi fuiſſet à Bonfilio ſomnium, recreationis ergò ſuis refert Alumnis. Viſa vero Philippi in hiſtoria veraciter exprimuntur, & in eodem lib. 5. fuſiùs enarrantur.

Denique in 12. ſeù vltimo lib. cùm Philippus trium horarum ſpatio agone laborans Chriſti ad Tribunal conſtitiſſet, & cum Dæmone, vel minimas improperante culpas, contendiſſet, præbet opem

Virgo

Virgo suprema, illumque mirificè, vt ipse fatetur, solatur. Hac in parte superaddo Virginem Philippo, futuram, post obitum, Ordinis prosperitatem prædixisse, Illustresque Viros, ceù Martyres, Confessores, Virgines, Cardinales Protectores, Præsules, necnon & alios insignes Religionis Seruorum moderatores, & asseclas, tanquam in lucido, tersissimoque repræsentasse speculo, simulque alia multa, quæ quidem historiæ non repugnare videntur.

Prolixior tibi videbitur digressio, quam in ipso Operis limine contexui; tale verò grati animi ergà Serenissimam Mediceam Familiam, & Vrbem Florentiam Officium Ordo Seruorum impendere tenetur, quodque nullibi aptiùs potui exoluere.

Fateor me aliqua, præsertim in comparationibus, & descriptionibus ex Virgilio, & alijs Insignioribus Poetis interdum decerpsisse; sed non erubeo, dummodò apposita videantur. Quòd verò ad stylum, tu videris. Monitum te velim, me huic non desudasse Poemati, vt Poetæ nomen, vel opinionem aucuparer; sed vt tanti viri pietatem carmine exhiberem, & imitationem Christadùm animis inspirarem. Vndè critica parùm vereor supercilia, illud Apostoli mente reuoluens. Sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis. Vt autem facilitati, & rerum intelligentiæ consulerem, illa in margine exposui, quæ Poesis minutatim expromere dedignatur. Vale.

1. Co-rinth.

AD ADM. R. P. GERMANVM SARDVM SERVITAM,
Natione Gallum, præclaro Poemate gesta
S.PHILIPPI BENITII decantantem.

A IOANNE LOTTO:

EPIGRAMMA.

TAm benè si recinis, mihi tu Sol ille videris,
Virgineum inflammans Pindica in antra Chorum.
Hinc tua non fundunt laticem atramenta nigrantem,
Quin magis ex illis lactea vena fluit.
Iurè quidem; & quia tu niueæ sis verna Parentis,
Et quia Benitium, qui quoque Virgo, canis.
Non nisi Liliacus Tubicen, quem Gallia gignit,
Pangere scit digno Lilia tanta sono.

AD. D. IOANNEM LOTTVM CELEBERRIMVM
In Romana Academia Poetam ab Authore Benizidos.

ANAGRAMMA.

IONNES LOTTVS.

AN TV O' SOL NITES?

SI Sol, ergò nites, solusque nitebis Apollo,
Pegaseo haud alter Phœbus in Orbe micat.
Multos Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor; sed non nomina Solis habent.
Sat sibi Pierij vocitari sydera Pindi,
Et capere ex vno Sole nitente iubar.
Qui petit, an niteas? oculis vel captus oberrat,
Vel, si claudit habens, lumina cæca meret.
Cynthius opposita deperdit lumina Phœbe,
Terra coruscanti tùm riget orba face.
Clara tuæ nulla vmbra tegit miracula Musæ,
Tu Sol Castalio semper in Orbe *nites*.

AD

AD ADMODVM R.P. GERMANVM SARDVM MASSILIENSEM

Philoſ. ac Theol. Mag. Diuinæ Benizidos præſtantiſſimum Authorem.

PETRI HENRICI SICVLI MAMERTINI.

EPIGRAMMA. I.

PIerios quicumque velis excerpere flores,
Caſtalioque tuam rore leuare ſitim,
Hùc propera; ſit fons, & ager tibi Sacra Benizis,
Illa tibi lymphas commodet, illa roſas,

EIVSDEM EPIGRAMMA. II.

LEctor inoffenſo peragrare Benizida Sacram
Calce potes; lædent ſcandala nulla pedes.
Non illic Stygio ſunt mella intincta veneno,
Non flos Tartareo tactus ab Angue viret;
Ambroſiæ at latices, at puro ex nectare ſuccos,
Aethereaſque roſas porrigit illud opus.
Nec Veneris memorat flammas, aut prælia Martis,
Tarpæiumuè Ducem tollit ad vſque Iugum.
Flaminis aſt Almi canit & certamina, & ignes,
Sydereaque ſuum ſiſtit in arce Virum.

EIVSDEM ANAGRAMMA.

GERMANVS SARDVS.

RARVS, SED MAGNVS.

SOligenam ſtupidus Volucrem videt Orbis Eous,
Et *raram*, & *magnam* nobilitate ſua.
Rara velut Phænix, & *magna* eſt docta Benizis,
Rarus, ſed magnus, plus volat Author Aue.

EIVS-

EIVSDEM

DISTICHON ACROSTICHON ET ANAGRAMMATICVM.

GEsta, Et Res Miras Author Notat Vndique Sancti,
Solisque Ad Rutilos Ducitur Vsque Sinus.

AD D. PETRVM HENRICVM SICVLVM MAMERTINVM

Theologum, Philosophum, ac Poetam celeberrimum ab Authore Benizidos.

ANAGRAMMA.

PETRVS HENRICVS.

HIC TER SVPERNVS.

HIc docet alta Poli, Sophiamque, Heliconis & artes.
Hic terni orbis apex, *Ter*que *Supernus* Atlas.

Vel.

Trina tuæ pandunt, Henrice, insignia mentis
Nomina, & eximijs dona Superna modis:
Insula te genuit Trinacria fertilis agris,
Et dedit Ingenium fertilitate sagax.
Est tibi cum reliquis communis terna facultas, (Memoria, Intellectus, Voluntas.)
Exuperat reliquas, sed tua celsa Trias.
Hinc aperis sacras diuini Dogmatis artes;
Et Sophiæ salebras, Aonidumque doces.
Omnia terna tibi; virtus te trina decorat,
Mercurij trinum nomen, & omen habes.
Ipsa stupens virtus tanti monumenta Clientis,
Hic mihi Ter magnus, *Ter*que *Supernus*, ait.

AD

AD R. P. GERMANI SARDI BENIZIDOS LECTOREM.

S. ANDIOL.

EPIGRAMMA.

Filius iste Patris deducit carmine vitam,
Lector, amoris habes grandis, & artis opus.
Ille pijs Cœtum Seruorum legibus auxit,
Et docuit Cœlo liberiore frui.
Filius, atque Pater toto celebrabitur æuo,
Filius vt Tubicen, Materiesque Pater.

AD D. S. ANDIOL METROPOLIS ARELAT. ARCHIDIACONVM.

Poetam cæcum oculatissimum ab Authore Benizidos.

EPIGRAMMA.

TV mea floricomis Heliconis, opuscula sertis
Exornas; tribuis quæ mihi, tolle tibi.
Talia non dentur languenti dona Camænæ,
Ingeniosa tuis sunt referenda libris.
Iam nouus Aonio consurgis Homerus in orbe,
Cæcus Apollineis tu præes alter agris.
Macte animo Lector, binus tibi fulget Homerus,
Quæ tacuit primus, dicta secundus habet.

Fa-

Facultas Reuerendiſs. Patris F. Magiſtri Georgij Soggiæ Generalis Ordinis Seruorum B. M. V.

OPuſculum hoc, cui titulus eſt *Benizis*, *ſeu Sacrum Poema vitæ S. Philippi Benizi Ordinis Seruorum B. M. Virginis Inſtauratoris*, ab Ad. Reu. P. Germano Sardo Maſſilienſi, noſtræ Religionis in Sacra Theologia Magiſtro, compoſitum, cùm à duobus eiuſdem noſtri Ordinis eruditis Theologis, quos ad id deputauimus, accurata lectione, & maturo iudicio recognitum fuerit, quantum in nobis eſt, vt typis mandetur, facultatem facimus. In quorum fidem &c. Datum Romæ 11. Aprilis 1681.

Fr. Georgius Soggias Generalis
Ord. Seruorum B.M.V.

SAcrum Poema, quod Benizis indigitatur, opus Adm. Reu. Patris Sardi Seruitæ, quem Theologia, nedum Poeſis Magiſtrum exhibet; ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Raymundi Capiſucchij Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, diligenter euolui; quod, cùm pietatem cum dulcedine ſapienter ingerat, prælo dignum exiſtimo. Romæ 12. Kalendas Maij Anno 1681.

Laurentius Boulboul Clericus Regularis Minor.
S. Congregationis Indicis Conſultor.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſt. Sac. Pal. Apoſt.

I. *de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.*

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capiſucchus Ord. Prædicat. Sac. Palatij Apoſtolici Magiſter.

FR.

FR. GERMANI SARDI

MASSILIENSIS

Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis,
Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER I.

ARGVMENTVM.

Prodijt in lucem precibus, votisque Benizus,
A teneris Sanctum cunis miracula promunt,
Virtutes inhians sacros ex indole mores
Ebibit, & nugas pueriles verbere frænat;
Ingenijq; potens primas adipiscitur artes.

CEsta, Virumq; cano, varias qui sacra per oras
Semina virtutis spargit: portenta relatu
Mira gerit, nullumq; viris inspecta per æuũ:
Auxilio fretus Superũ sub se omnia mittit:
Criminis euertit molem: Phlegetonta coercet:
Falsa Nouatorum dictis commenta retexit:
Seruorum immensos pro Cœtu ferre labores
Aggreditur, Diuo quem noscit Numine cœptum,
Moribus instituit, sacrata lege resarcit,
Tandemq; ad summos tollit pietatis honores.
Non mihi Calliopen, precor, aspirare canenti,
Cingat Apollineis, lubeat quæ tempora sertis,
Mens renuit flores, inhiat dum carpere fruges;
Nec studeat pulsare Chelyn Citharædus Apollo;

Totius operis propositio.

Sanctus Philippus fuit instaurator Ordinis Seruorũ B.M. Virg.

Sacra inuocatio qualis decet pios Scriptores.

Diſplicet ille ſonus, ſupera qui ſordet in aula.
Spiritus alme faue, diuini Flamen amoris
Affer opem Vati, cæleſtibus inſtrue dictis,
Infla vela animi, pelagus metuentis in altum
Tendere, ne rerum vaſtis mergatur abyſſis.
Auſpicijs, ò Virgo, tuis cum militet Heros,
Ipſa pijs, quamuis audacibus annue cœptis:
Namque decet te, Mater, opem præbere petenti,
Prolis vt eximios referam pleno ore triumphos,
Ac pæana canam ſacro ſtimulatus ab œſtro.

Iacobus Benizus Pater Philippi.

Prodijt à priſca Iacobus Gente Beniza.
Exornat patrios Florentia pulchra Penates,
Vrbs antiqua fuit claris exculta colonis,

Elogium Vrbis Florentiæ.

Nec veterum propago recens veſtigia linquit.
Armipotens belli Præſes Tritonia Virgo
Territat horriſoni vicinos turbine Martis,
Debellatq; feros animis, & viribus hoſtes.
O quot ouans agitat ſæuo de Thrace triumphos?
Quot ſpolijs fruitur? quot victo ex hoſte trophæis?
Compita diuitibus fulgent, & limina prædis,
Hoſtilis pendent quàcumq; inſignia gazæ.
Illa etiam ſurgit, grata dum pace potitur,
Vbertate ſoli, Bacchi, Cererîſq; feracis.
Mercibus emporium quoque mænia ditat Eois.
Palladijs, ſacriſq; viget decorata Palæſtris.
Inclyta perpetuæ ſplendet virtutis imago.
Religione viros, quos Sancta Eccleſia faſtis
Inſeruit claros, dictis quis computet æquis?
Iure tenet nomen, priſcis quo fulget ab annis,
Floret in orbe nitens, ſuaueſq; exhalat odores.
Vrbem Arnus mediam fœcundis alluit vndis.
Vt Capiti ſummos perſoluit Hetruria cultus;

Ipſa

Ipſa vel Vrbs Regni nomen, laudeſq; meretur.
Floruit, vt primi viguerunt Iura Senatus,
Vicinaſq; ſuis adiunxit finibus oras;
Sub Ducis Imperio varios monumenta per Orbes
Splendidiora refert, ſublimibus aucta triumphis.
Coſmas Mediceus Proauorum lumine clarus,
Clarior at propria Genij virtute potentis,
Heroum Princeps, nunc alta lege gubernat;
Thuſcorumq; Duci Magno referuntur honores:
Lingua ſile, illius ſuperat nam gloria Vatum
Dulciſonos ex ore modos, Pindiq; lepores.
Magnanimam Iuuenis Pellæi pingere frontem
Pictorum eximio, ſoliq; licebat Apelli.

Coſmus Tertius.

Hic tenuere diù Maiores frœna Senatus,
Inſigneſq; Duces multi rexere Benizi;
Iacobo Albauerda fuit caſtiſſima coniux,
Nobilitate nitens, nulli pietate ſecunda.
Iunxit honeſtus hymen tædis illuſtribus ambos.
Prole, negante Deo, multos caruere per annos,
Speſq; propagandæ ſobolis propè nulla micabat.
Iam matura ætas tepidis marceſcere fibris
Incipit, atq; dolent longam ſe claudere ſtirpem.
Tunc onerare pijs contendunt æthera votis,
Ac prece ſolemni diuinam flectere Mentem.
Splendida munificis cumulant altaria donis,
Continuiſq; aures Diuùm clamoribus implent,
Prolis vt optato tandem dignentur honore.

Parentes Philippi cum eſſent ſteriles petunt à Deo prolem.

Multùm animos vtriuſq; premit lacrymoſa querela;
Aſpicit Ara preces, votiuaq; thura piorum
Fragranti fumo perfundunt ora Tonantis;
Aetherei Cœtus vrgent, Menteſque beatæ
Numen voce rogant humili, ſterileſq; tuentur:

Tum Pater Omnipotens faustis oracula dictis
Fundit, & effatur. Iuuat exaudire precantum
Vota vltrò, Sobolem non Infæcunda celebrem
Gratia det; non Carni, non Mundo, neque Auerno;
Sed Cœlo seruanda, suam, Fratrumq; salutem
Gestura est. Quàm magna hilarent promissa rogantes,
Quis referat? læta ingeminatis plausibus edunt
Gaudia; cum tandem grauis Albauerda Philippo
Prospicit in somnis orientem ex viscere flammam,
Quæ rapidis omnem facibus succenderet orbem.
Non Vulcanus erat phantastica mentis imago,
Aut, quæ sopitos deludunt somnia sensus,
Visa sed ex Genij studio Custodis oborta,
Virtutis Pueri multæ præsaga futuri.

Deus exaudit preces, & vota, ac sobolem spondet.

Somnium Albauerdæ Philippi Matris prægnantis.

Orbe resurgebant Lunaria cornua nono,
Albauerda graues cum tandem passa dolores
Edidit infantem, Genitor quem fronte serena
Suscipit, & cupidis ardens amplectitur vlnis,
Decernitque recens natum vocitare Philippum.
Nuntia Fama ruit totam diffusa per Vrbem.
Sepositis agitant cognati gaudia curis,
Vicinique diù speratum sæpè reuisunt
Infantem, tolluntque hilares ad sydera voces.
Quis puer at fuerit miracula mille docebunt.
Incipit à cunis austeram ducere vitam,
Abstinet hebdomadis tribus vltrò lacte diebus.
Obstupet alma Parens, sacroque pauore tenetur.
Nil non molitur, nulli parcitque labori,
Vt valeat proles, lactantiaque vbera quærat,
Quaslibet at Matris curas altricis, & artes
Eludit, nullisque modis ligat ore papillas,
Et renuit gustare cibos, & sumere pultes.

Philippum post nouem menses parturit.

Philippus infans tribus Hebdomadis diebus abstinet à lacte.

Indole


p. 4.

Indole perſpecta Pueri, nouere Parentes,
Non languore premi, ſed, Numine dante iuuamen,
Abſtinuiſſe ſuum Nutricis lacte Benizum,
Vt manifeſta piæ pateant præſagia vitæ,
Atque futurarum niteant faſtigia rerum,
Ad quæ, certa vocant mirandum Fata puellum.
Nec teneris ſatis eſt membris alimenta negaſſe,
Ducit & inſomnes extrà cunabula noctes,
Dum campos Boreæ penetrabile frigus adurit,
Aut Alpina premit glacies, vel bruma niualis.
Deſilit à cunis Infans, tenditque deorſum,
Tum procumbit humi, riget acri frigore corpus,
Sollicitæque diù nutricis lumina fallit:
Mollibus in cunis nam fruſtrà ſiſtere curat,
Et toties ſurgit, quoties ſtudioſa reponit.
Quid moror in paruis? animus grauioribus inſtat.
Maius opus, maior rerum mihi naſcitur ordo.
Binus erat Seruita, leuis qui culmina Mundi
Spernentes, mediam exquirunt alimenta per Vrbem.
Vbera dum mollis lambit materna Philippus,
Menſtrua iam quintum Phæbe compleuerat Orbem,
Cum, licet elinguis Genitrici talia fatur.
Eia age blanda Parens Seruis ſuccurre Maria.
Dixerat, & Mater prorſus, cunctique ſtupentes,
Dum loquitur mutus, deperdunt verba loquaces.
Prodigium, quod forte vlla haud deprenderat ætas!
Gratia dum fauſto, diuina, piamine labem
Baptiſtæ, à priſca quam traxit origine, delet,
Clauditur & grauidæ annoſo ſub pectore Matris,
Iure tenet ſtupidas tanto molimine mentes:
Chriſtus enim, ſummi ſoboles æterna Parentis,
Virginis incluſus Matris prægnantis in aluo,

Infans deſilit à cunis, & procumbit ſummi.

Philippus quinque menſes natus loquitur.

Eliſa-

Elisabeth penetrat radianti viscera luce,
Et iam corda micant, saliunt iam pectore fibræ,
Clausus & insolitis exultat saltibus Infans,
Sentit vbi primùm præsentia membra Tonantis,
Verba tamen non vlla dedit, cum prodit in auras.
Sed nec Ieremias materno in viscere Sanctus,
Nec Nicolaus, humi noctu qui sæpe recumbens
Abstinet vberibus, cunctas fastidit & escas,
Hi mox in cunis vllas fudere loquelas;
Hæc dona Infanti Numen dedit alta Benizo.

Hunc tamen, atq; alios, memini quos ante puellos,
Et ratio, & rectæ stimulant calcaria mentis.
Cur Matris lætetur ouans in ventre Ioannes?
Impatiens famis, ac inhians lac Matris alumnus,
Dum nulla arripitur febri, morboque laborat
Cur renuat firmo conamine sugere mammas?
Mollibus à cunis proprio cur Marte resurgat?
Denique quì valeant portenta tot edere pupi,
Si nulla humanæ rationis luce iuuentur?

> Probatur Philippũ habuisse vsum rationis dum loquitur. Sicut & alij dum ieiunant, & humi procumbunt.

Nunc arcana, libet votiui verba Benizi
Scrutari, dum nempe citum præbere iuuamen
Seruitis Matrem resono sic ore precatur,
Eia age blanda Parens Seruis succurre Mariæ.
Hic amor ex trinis educitur ordine causis;
Gratia namque mouet fantem, ratione Puellum,
Est animi exterior motus, cordisque loquela,
Scilicet humanæ quæ mentis operta recludit.
Altera dein sequitur, cum fert solamen egenis,
Aut premit, vt miseris donet stipendia Mater.
Denique discernit recta ratione rogantes,
Nuncupat & Seruos distincta voce Mariæ.
Hinc primùm alma capit Seruorum Insignia Cætus
Incly-


p. 6.

Inclytus, æternumque tenet per ſæcula Nomen;
Romuleique Patres vario diplomate firmant.
Interea celebrata mouent oſtenta Benizi
Coelicolas, nempe Infantes ſuper aſtra locatos,
Seù quos eripuit maternis dirus ab vlnis,
Coxit & Herodes, vt gemmas ſæua pruina,
Seù, quos ablutos ſacrati fonte lauacri
Gratia mox voluit vacuas reparare ruinas.
Hi ſorte æquales, etſi experientia nulla
Efficiat cautos, cœleſti lumine docti
Hæc inter ſe ſe facundo murmure iactant.

Oratio Infancium in Celia defiderantiũ conſortium Philippi infantis.

Quàm manifeſta patet triſtis fallacia mundi!
Heu! quantis homines agitantur pectora curis!
Vndique circumſtant horrenda pericula mortis
Funeſtæ, ſubitas vitio fodiente lacunas.
Ambitionis amor nullo ſatiatur honore.
Creſcit in immenſum regnandi cœca libido.
Illecebris iuuenem varijs damnoſa voluptas
Allicit, & toruos auro circumligat Hydros.
Auget auaritiam inſatiabilis ardor habendi.
Sæpe exardeſcens animis bacchatur iniquis
Ira, nec igniuomos patientia temperat æſtus.
Quot parat inſidias crudelis vbique latentes
Orci Regnator, rabie liuoris adactus?
O nos fœlices, celeri quos falce nouellos
Mors ſecat, vt frutices cœleſti rure ſerendos!
Agminis at Princeps Chriſtum de Virgine natum
Ceruicem inflexus, pauido ſic ore precatur.
Clara ſalus hominum, Proles æquæua Tonantis,
Supplicibus præbe clementes vocibus aures.
Heu! iuuat in terris modo natum adolere Philippum?
At quiſnam tutus Mundi in regione moratur?

Vita

Vita laboriferis circumuallata periclis,
Non homini donum est, seruo sed pœna misello:
Auxilijs, Infans Cœli munitus & armis,
Dœmonis assiduas valeat deludere fraudes;
Venerit in lucem, plaudenti Numine votis,
Inclyta vel tepidis referat præsagia cunis,
Quæ ierit, humanas superent miracula vires:
At mutare queunt laquearia splendida mores;
Bombyce, & gemmis, auroque intexta supellex
Sæpiùs innocuos oculorum fascinat orbes,
Inficit & mentem, cordique venena propinat:
Prodiga luxuries iuuenilia pectora mulcet,
Corrumpit mores, hebetat caligine sensus.
Vnica blandificis proles mollescit in vlnis,
Ac bona cum fuerit, mala fit torpedine capta;
Prosperiora iuuet Puero concedere fata,
Eripe ab instanti turpis discrimine culpæ,
Effer & ad sedes æternùm à Patre paratas.
Vix ea fatus erat, paucis cum talia Christus. *Responsio Christi.*
Iam Pater intonuit, carum se velle Benizum
In terris curare suam, Fratrumque salutem.
Hic Genitricis honos, sacri flos candidus agri,
Hic Fidei clypeus, niuei tutorque pudoris;
Impia terrifici torquebit regna Barathri;
Est decus infantis gratum, dabo prospera cuncta;
Non deero, statuetque inter mea Gloria, primos.
Protinus ora premunt, ac proni Numen adorant.
Rore Philippus erat puro, perfusus & vnda
Baptismi, dum tanta volant ostenta per vrbem.
Tum sacra Lympha nouis incendit viscera prunis,
Quæ magis increscunt, æuo crescente puelli.
Comparatio. Vtque nouellus ager crebro proscissus aratro,

Conti-

Continuaque manu cultus, Cœlique benigno
Influxu madidus, multo cum fœnore fruges
Reddit, & immensæ complent granaria messes;
Sic sacro intinctus Baptismi fonte Benizus,
Cœlestique madens vrget fœcundior imbre.
Mollia per duros exercet membra rigores,
Vibrat & ardentes imo de corde sagittas,
Quæ propiùs feriunt flammata cuspide mentes:
Intus enim Pupus dum tanto flagrat amore,
Diuinus non ille statim restinguitur ardor.
At, velut optatò ventis æstate coortis,
Dispersa immittit Syluis incendia Pastor,
Quæ subitò volucres tollunt per nubila flammas,
Et furit horrendus laxis Vulcanus habenis,
Multiplicansque globos saltus populatur, & agros,
Amnis vt immensæ nequeant extinguere lymphæ;
Sic æternus, oues Pastor qui ducit Olympi,
Excitat in puero cœlestes flatibus ignes,
Candida continuo qui torrent corda vapore;
Quosque domare nequit Stygij tota vnda fluenti.
At satis innuimus, quæ magna Puellus obiuit,
Præbuit irriguas dum nutrix sedula mammas.

Comparatio.

Iam referare lubet pueriles gesta per annos,
Quæ superant teneras ætatis pondere, vires.
Iamque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, tenero vix balbas ore loquelas
Fuderat, & blandis profert oracula dictis.
Quod gerit, omne sapit cœlestem Numinis Auram;
Inuigilat non pigra quidem tum cura parentum;
Mox illum diuina docent arcana salutis,
Integræ seruare iubent moderamina vitæ;
Insinuantque altæ socium virtutis amorem;

Pueritia Philippi.

Non tamen inueniunt naturam mentis acerbam,
Indole sed docilem, vitiorum sorde carentem.
Stat celer obsequio, nulla iussisq; Suorum
Mente reluctatur, vel nutu obtemperat vno.
Quisquilias spernit, pueri quas semper anhelant,
Intorquet nullos naso crispante cachinnos,
Nec strepitus edit, mollis quos respuit auris,
Nulla tenent captos bullata crepundia sensus.
Non illum rixæ, non verba iocosa morantur,
Non gula, non lusus insontia pectora frangunt,
Nullaq; vaniloquis consumit tempora nugis.
Deniq; solliciti deprendunt nulla parentes,
Quæ minima carpant ferula, monitisue fatigent.

Ipsius pietas.

Corporis at moles dum vi maiore virescit,
Gliscit & ingenuæ pariter sapientia mentis,
Vrit amor pectus, diuis animatq; fauillis;
Quidquid agat, suaues efflat pietatis odores.
Sæpe rogat Matrem, comitem se ferre per ædes
Dignetur sacras, Superos dum quærit amicos.
O quoties Genitrix gemebundum in tecta remittit,
Consulat vt nati teneræ studiosa saluti!
Seù, cum bruma niues affert, pigrumq; rigorem
Reddit, & acris hyems Aquilonibus asperat æthram,
Et totum pluuio contristat frigore Cœlum,
Seù, cum scindit agros Phœbeis ignibus æstas.
Tunc dolet ille, tegitq; pio sub pectore motus,
Ac velut indigno dignam putat esse repulsam.
Tota mente, Sacro dum sistit, Numen adorat,
Cordeque tam puro diuinos soluit honores,
Vt speculum surgat, veram splendore figuram
Virtutis referens, pandentis ad æthera gressus.
Supplice, quisq; stupet tenerum, ceruice puellum

In nuda

In nuda sterni duplicato poplite terra,
Sollicitare Deum votis, veniamq; precari,
Ora tepescenti lacrymarum fonte rigare,
Continuoque Polum gemitu placare furentem,
Ille quasi totas Diuûm succenderit iras.
Quid loquar, et promptã monitis aduertere mentẽ,
Dum Præco sacris implet Sermonibus aures,
Cum vires superet pueriles feruor amoris,
Quo fœcunda cupit diuini dogmata verbi?
Non secus ac prædas dum vultur anhelat aduncis
Vnguibus, & duro lacerat præcordia rostro,
Exanima immensus cõsumit corpora gurges,
Ac nullis vnquam saturantur viscera raptis.
Sic toto diuina inhians modulamina corde,
Deglutit patulo, velut escas, mentis hiatu;
Nec satiare queunt tot pinguia fercula pectus:
Nam potiora putat diuinæ alimenta salutis,
Quàm nusquam explendi fumantia pabula ventris.
Vix fuit altricis depulsus ab vbere Matris,
Dum terno consüeta die ieiunia seruat,
Ac nuda tenues artus tellure reponit.
Continuat sensus nondum frænare rebelles,
Ac precibus vigiles totidem perducere noctes.
Qualis testa diù pretioso imbuta liquore,
Quem benè iam tenuit, nunquã deperdit odorem;
A tenero diuina Puer documenta recepit,
Hæret adhuc animo sculptæ virtutis imago;
Nullaque cælatas delent obliuia formas.
Quid mirum, si fulget ijs insignibus olim,
Lacteus in cunis quibus & resplenduit infans?
Iam puer innocuos bis quinque peregerat annos,
Cum subito mentem subeunt pia vota gementis

Mira pietate audit Verbũ Dei.

Comparatio.

Comparatio.

Decennis quotidie. septem Psalmos Dauidicos recitat.

Iessæi Regis, cecinit quæ plurima Vates
Eliciens geminos oculis ob crimina fontes.
Talia quotidie contorquet tela Philippus,
Ac petit assiduis cœlestes fletibus aures,
Quamuis nulla piam lædant contagia mentem;
Scilicet ipsa mali terrores incutit vmbra,
Nititur horrendi speciem mulctare piacli,
Ac nondum admissis pœnas infligere culpis,
Vel domitare studet pronos ad crimina sensus,
Atque obstare malis, quæ dirus suggerit Orcus.
Personat & precibus Sponsæ, Matrique Tonantis

Recitat quotidie Officiũ B. M. Virg.

Quotidiana sibi pensa exoluenda per annos,
Hanc colit vt Matrem veram, Fideiq; Magistram;
Cuius ope illecebras fragilis deludere carnis
Discat, & exuperet falsi discrimina mundi,
Atque Erebi vitet laqueos à Rege paratos.

Recitat quoq; Officium Defunct. quotidie.

Inq; animas, imis quas purgat Numen in antris,
Munia solliciti protendit cura Benizi,
Vt duris optata ferat solatia pœnis,
Et queat ad superas meritis efferre Phalangas.
Talia, dum vixit, stipendia terna rependit.
Sat Superos nouit per verba precantia flecti,

Meditatio, seu oratio quam vocant mentalem.

Vocalesque preces vrgere, ac reddere faustos;
Continua tacitas adiungit mente loquelas;
Lumine namque illæ solito pietatis aluntur;
Hæ verò, vibrata volant vt spicula, pectus
Immortale Dei feriunt, terebrantque medullas:
Has ergo exequitur, noctùque, diuque volutat;
Ponderat & Christi vitam, mortisque cruentæ
Arcana insonti lugubria pectore versat;
Numinis æternum summi meditatur amorem,
Quo voluit proprio Mundum reparare cruore,

Sustu-

Sustulit immensos, hominum pro sorde labores,
Perpetuis strinxit violentum Dœmona vinclis,
Fataque prostrauit, tetrumque Acheronta subegit.
Hæc memoranda Dei reputat sine fine trophæa,
Mensque sinu capit æthereos epulata sopores.
Ad maiora tamen pietas, ardorque Philippi
Tendit; & illæsum spondet seruare pudorem,
Et cupit à membris vt stillet verbere sanguis;
Degentum super astra volens simulare nitores
Infantum, adnectit, zelo stimulante, coronæ,
Qui speciem cumulet, binum fulgore, lapillum;
Hinc adamas fulget, rubeus micat inde Pyropus.
Sanguinis est Christi germana Pyropus imago,
Virginitas albo referens adamanta colore
Haud marcere potest, dum cælicus irrigat imber.
At cruor exprimitur per verbera sanguine tincta,
Sæpe quibus teneros lacerat sine more lacertos,
Tantus amor niuei comburit pectoris ima.
Purpureis, ò, cana rosis immista, Puelle,
Lilia te, certant bina redimire corolla.
Nonne sat ornantur candenti tempora Serto?
Cur quoque sanguineis stringuntur corpora Vittis?
Sed video tales cur ambis, belle, colores:
Tu Prolis, Matrisque studes insignia ferre;
Ille micat, veluti Cælestis Lilia campi,
Vt Rosa Spinosis Hæc fulget cincta rubetis,
Inter & hirsutos stant Prolis Lilia, sentes.
Iam satis ingenui penetro mysteria cordis:
Nam tibi non satis est vtriusque referre nitorem;
Vis vtriusque graues etiam simulare dolores.
O Puer immensa Virtutis luce coruscans,
Floscule, Sydereis qui Regis missus ab hortis

Omni-

Vouet Deo Virginitatem

Quotidie corpus flagellat;

Christus flos cāpi, & liliū, sicut lilium inter spinas. Cant. Maria Virgo Rosa mystica.

Omnipotentis, oles, mirosque inspergis odores;
O noua fax; mundo quæ tanta incendia amoris
Fundis, funde meis orientia lumina fibris,
Vt noscam, & Sacros depromam voce triumphos.
Interea diuturna vident tormenta Parentes,
Quamuis furtiuis studeat se plectere loris,
Nulla oculos vigilis ludit custodis apertos
Cura; proinde vetant tales sibi ferre rigores;
Paret & ille, citas donec sedauerit iras.
Ast amor intus alit rutilas in pectore flammas,
Quæ super astra volant, Diuûmque Sacraria lambunt.
Vnde satis norunt prolem pietate superna
Innocuum rigidis corpus sulcare flagellis.
At tandem innatos satagunt compescere motus,
Numinis arcanis se se concredere iussis,
Arbitrioque pij committere cuncta Puelli.
Dum sacra compleuit flagranti munera zelo,
Diluit indomitos, laxata mente labores,
Virgineis digitis exiles construit aras,
Quas faculis ornat, fulcris, pictisque tabellis.
Vix minimum confecit opus, cum pectore toto
Artifici rerum summo se consecrat vni,
Quem colit in laribus, quoniam prohibetur adire
Sacra loca, ac tantis Numen feruoribus orat,
Quoslibet vt superet studio virtutis adultos.
Cumque relaxat in his animos, labentibus horis,
Flaminis impulsu, tales fert ore loquelas.
O vtinam pueri saperent suprema Tonantis
Iura, vel obsequij modicas impendere vires
Curarent, dignasque Polo persoluere grates,
Mollia non leuibus temerarent otia scurris,
Nec fatua ludo puerili, mente studerent,

Exiguas domi aras extruit.

Orat Deum pro sodalibus.

Fallere

Fallere nec Socios, nec currere compita circùm,
Sed ſeruire Deo, Sacriſque incumbere rebus.
Tali nugaces deflebat voce ſodales.
 Iamque adſunt tandem vires, ætaſque Benizo
Ingenij, quibus & ſtudijs incumbat honeſtis,
Arteſque ediſcat, teneræ quæ mentis acumen
Exſtimulent, ſolidumque ſtruant virtutis amorem.
Solliciti arcana Genitores mente volutant,
Publica, quæ pueris obſcæna, palæſtra miniſtret,
Quæ dociles vltrò fœdent contagia mores.
Hinc fit, vt inſontem nolint immittere prolem
In varios caſus, & aperta pericula, vitam
Turpandi. tunc ergo pius, celebriſque Magiſter
Quæritur, vt fragilem vera pietate iuuentam
Inſtituat, doceatque vias, quibus itur ad aſtra.
Res agitare Patris ſecretis pectora curis
Incipit, ac crebrò placidos abrumpere ſomnos.
Tunc aperit mentem Conſorti, talia fatus.
Tempora labuntur, quæ nos torpedo moratur?
Vnica iam proles animo, ac ætate vireſcit.
Eligere eſt pietate virum, ſtudijſque ſagacem,
Qui puero mores, doctas infundat & artes.
Optatur, qui rura colat, robuſtus arator;
Quis ſeruum teneat, quin anxia cura probarit?
Inſignem virtute Virum, doctumque legamus,
Cuius ope antiquæ nitatur gloria Gentis,
Prolis & eximiæ ſtet tota ſalutis origo.
Albauerda probat ſapientis dicta Mariti,
Hortaturque, celer Diuûm Spiramina poſcat.
Haud mora, ſacrificas Iacobus pergit ad aras,
Supplicibuſque Deum rogitat, Matremque querelis,
Vt ſibi cuncta ſecunda fluant; tandemque Magiſtrum

Sollicitudo patris in eligendo præceptore.

Deli-

Deligit omni arte, ac rara probitate micantem.
Indolis vt vires Doctor tentauit acutus,
Sublimi aduertit puerum virtute nitere,
Ac ſuperare ſacris volitantia nomina cæptis.
Quin potius Doctor mores imitatur honeſtos,
Quàm proprios tenero dictis inſpiret alumno.
Solùm ergo deprendit opes, quas corde recondit,
Non additque nouas, ſtupida ſed mente reuoluit,
Quas foueat ſacras puerili pectore prunas,
Quæque immenſa Dei modicis incendia fibris
Tam ſolerter alat, nullo præbente iuuamen.
Inſtruit hic Sanctus Sanctum, alternaque palæſtra
Sanctus vterque poli diſcitque, docetque receſſus,
Aemulum & Athletam certatim vincere curat.
Iam valet ingenio, iam grammata cuncta penetrat,
Abſque labore ſibi docto reſerante Magiſtro.
Rhetoricæ incumbit, nec cæptis fræna remittit,
Sed ſtudijs inhians totas intendere Vires,
Ebibit abſtruſas ita mentis acumine partes,
Vt velut ætherei ſit luminis alta vorago.
Nec mirere, preces maiora iuuamina præbent:
Quidquid enim contendit homo ſine Numinis Aura,
Multa animo valeat, præcellat Regibus ortu,
Atque gigantæos ſuperet conatibus auſus,
Excidit, & vacuas ſubitò vaneſcit in oras;
Si tamen extollant diuina leuamina mentem,
Altiùs euoluens naturæ arcana recludit,
Nec reperit quicquam, fultis quod viribus obſtet.
Sæpiùs hæc animo verſans effata Benizus,
Lumina depoſcit ſuprema ab Origine Lucis.
Haurit inexhauſto de fonte recondita rerum
Secreta, ac doctæ Species cuiuslibet artis.

Ingenij, ac pietatis ſublimitatem Doctor obſtupet.

Pollet ingenio.

Inde pius documenta bonos commutat in vſus.
Qualis apes herbis dulciſſima carpit amaris
Mella, infinitis hominum dona vſibus apta.
Haud aliter ſtomachus feruefcens igne voraci,
Omnes & gelidas, & crudas concoquit eſcas,
Digerit, & nutrit ſparſas per ſanguine fibras.
Stercore ab immundo pretioſum colligit aurum;
Scilicet ex dicto, ſenſu, vel mente prophana
Elicit eximios, recto diſcrimine mores,
Vt vitij ſordes fugiat formidine pœnæ:
Sincerumque decus foueat virtutis amore.

Comparatio.

Interdum moroſa hominum faſtidia ridens,
Et quibus immenſis anguntur pectora curis,
Vt tandem ad celſa eloquiorum culmina ſurgant;
Heù! inquit, quantis vrgent anfractibus, Aulæ
Vt capiant auras, vanos Regumque fauores!
Non inflata ſolent diuum lenire furorem
Verba, ſed armare omnipotentem fulmine dextram.
At bene ſat loquitur, qui Numinis halat honores:
Namque fide plenus, diuina animante fauilla,
Auellit montes, aliòque cacumina transfert,
Alta premit tumidi, ſicco pede, marmora ponti,
Immutat rapidi ſinuoſum fluminis alueum,
Aſſuetiſque vagas abducit curſibus vndas,
Semouet & pelagus, cogitque recedere fluctus,
Detinet, & laxat celeres ad littora ventos,
Aequoris horriſonas compeſcit voce procellas,
Siſtere nulla queunt validas obſtacula vires.
Talibus inſinuat dictis miracula, quondam
Labenti, quæ nempè geret, ſub temporis æuo.
Sacro, ſponte fluunt ſuaues ex ore lepores,
Eloquijs homines ſuadetque, rapitque diſertis,

Damnat aulicorum ambitionem.

Eius eloquiũ. Comprimit ambrosijs petulantia pectora dictis,
Atque nouum pingit moderata in fronte pudorem.
Ast animi tantis angusto in pectore pollet
Viribus, vt docta ingenij commenta stupescant,
Et sileant homines, arrectisque auribus astent.
Splendidiora dabit, cùm sera inoleuerit ætas.
At licet egregias neruos intendat ad artes,
Obsequij, potiore Deo dat munera, voto;
Despicit indè pijs hominum fastigia curis,
Dulcis & illecebræ lethalia tela retundit;
Mollia, delicias, nimiùm quæ pectora frangunt,
Illicitoque nocent effrænæ ardore iuuentæ,
Respuit, ac Mundi leuitates ludit inanes.
Eius modestia Naturæ ad rigidos non fertur turbine motus,
Omne sibi constans præscribit regula cœptum,
Seruat inoffensam diuina modestia vocem,
Mentis & afflatus cœlestis, totus anhelat.
Denique mira regit claros prudentia mores,
Vt rectam dicas normam, speciemque coruscæ
Virtutis, quæ summa homines pietate decorat.
Doctor laudat Philippum ex pietate. Scitantur tandem, an Proles votiua, Parentes,
Proficiat studijs? Non erudiendus alumnus
Venit, Doctor ait; sed venit & ipse magister,
Aeternæ docturus opes, & præmia vitæ.
Præstat enim magno virtutum pectus aceruo;
Et doceo, & docet ille, amboque docere vicissim
Tendimus; ille docet multos pietatis honores,
Atque arcana, meæ fugiunt quæ mentis acumen;
Ast illum effingo rerum, fandique peritum,
Et tradendo artes, & honestæ dogmata vitæ.
O vtinam caperem facili tam mente salutem;
Quàm capit ille modis nostras fœlicibus artes!

Talia

Talia Doctor habet, Pueri dum gesta recenset.
Et decus ergo scholæ, & solidæ pietatis imago est;
Soluit vtrique suum vigilantia summa tributum,
Præualet at pietas, in eamque statera reclinat.
Hæc dominatur hera, illa faces, vt serua ministrat;
Inter vtramque Puer tempus partitur agendi,
At pietas Regina sibi pretiosius aptat;
Dum schola, quod superest Dominę, consumit ad vsũ.
O quoties lachrymis malas irrorat amaris,
Abluat vt sordes animæ, gustetque beata
Pabula, velatumque cibi sub imagine Numen!
Quid moror, & varijs onero cur pectora dictis?
Tempore deficiar, tantos si persequar ignes,
Si stipis erga inopes exponam labilis æra,
Et quæ diuinæ pietatis munera soluit,
Singula vix nostri capient monimenta libelli.



FR. GERMANI SARDI
MASSILIENSIS
Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis, Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER II.

ARGVMENTVM.

Sponsa erat alma pij Seruorũ Turma Philippi,
Cælibis inde venit texenda Phalangis origo,
Septem Virgo viros ad culminis euocat antra
Cælestem numerosa probant miracula vitam.
Ipsa dat & seruis nigra tegmina, signa dolorum.

IAM Diuinus amor longas in pectore fibras
Fixit, & ardentes vibrat feruore sagittas,
Sydereos rutilo quæ signant lumine calles,
Tunc Iuuenis mũdi tumidos contẽnere fastus
Cæpit, & illecebris omnes subducere sensus.
Respuit obscæni ludos, pompasq; Theatri,
Blanditias, lætosque iocos, hilaresq; choreas
Despicit, & leuium ridet spectacula rerum,
Deniq; cuncta fugit, sequitur quæ cæca Iuuentus.
Tum meminisse iuuat sacri fundamina Cœtus
Seruorum Mariæ paucis surgentis ab annis,
Expenditq; viris summa virtute decoris
Et claro Genere, exiguam splendere cateruam;

Conti-

Continuis iras precibus placare Tonantis,
Vindictæq; rogos lacrymarum extinguere riuis.
Ordinis ingressum totis tùm viribus ardet,
Atque sibi reputat Patrias ergastula sedes.
Vota tamen non illa sinent complere Benizum
Numina, quin axem Sol quinis circinet annis.
Talia sollicita Puber dum mente reuoluit,
Sanari montis descendit Alexis Eremo,
Pro socijsque stipem Athletis exposcit in Vrbe.
Hic erat ex septem Seruorum Virginis vnus,
Qui Seruitanam pridèm statuere Coronam.
Forte Benizinas diuertit Alexis in ædes.
Hìc Procerum multos spatiosa reperit aula.
Comiter excipitur, cunctis prope sanguine iunctus,
Præcipuusque erat Albizus cognatus Alexis.
Hic Falconerio claro de stemmate natus
Imberbis iuuenis, cupidè scitatus ab illo,
Quæ fuerit cœtus, vbi tùm degebat, origo,
Talia iactabat. Quædam confusa recordor,
Me didicisse domi, lingua referente paterna,
De vestro siquidem in Sanaria lustra recessu,
Consobrine, precor, dic, postulat & Globus iste,
Dic & quæ fuerint fundaminis omina vestri:
Namque ea iamdudum me fusius opto doceri.
Talia fatus erat, cùm talia cæpit Alexis.
Magna, Albize, petis, quorum narratio longa
Tædia fortè dabit, pia ni argumenta leuarint.
Pareo, prodigijs aures præbete patentes;
Nec memoranda, mihi tribuo monimenta misello.
Nam virtutis ego præconia nulla, sed omnes
Lethiferi mereor pœnas, & vincula Auerni.
Ergò Deo, & Socijs mea prorsus inauguro dicta.

Alexis vnus ex septem fundatoribus Ord Seruorũ, rogatur vt Ordinis referat originem.

Mille

Mille ducenti anni triginta tresque fluebant
A Christo, Seruitarum cùm nascitur Ordo,
Virginis Assumptæ Solemni luce Mariæ.
Dum furit in Sanctam Fredrici insania Sedem,
Nec cessauit adhuc nocuæ vesania rixæ,
Conatur longas Florentia Numinis iras
Lenire, ac sacris purgare piacula votis.
Tum quædam assurgit Procerum deuota Caterua,
Quæ Iesu Matris meritum, laudesque celebret,
Supremumq; pio veneretur murmure Numen.
Munere completo, Socijsque ad tecta reuersis,
Forte hi collecti Septem glomerantur eodem.
Quisque videt Socium cælesti luce nitentem,
Versantemque animo vulganda arcana Sodali,
Nullus at occultos audet depromere visus.
Tum maior tandem effatus Bonfilius ore,
Forte, inquit, simplex deliria cruda ciebo,
Si quod mente gero, clara iam voce reuelem;
Ast animi quis amica potest secreta silere?
Lux infusa mihi, remorantem soluere linguam,
Atque aperire premit conceptos pectoris ignes.
Dum simul vniti precibus conuenimus omnes,
Vox arguta meas confestim perculit aures;
Rumpe moras, ait, ac Mundi labentis honores
Aspernare, superba statim pallatia Auorum
Linque, petiturus secessus Vrbe remotos,
Faustiùs vt valeas sacris incumbere rebus;
Insinuauit idem Virgo, Regina pudoris,
Ac fore se clypeum mihi, tutelamque spopondit.
Dixit, idemque animo tùm voluere quisque fatetur.
Protinus Aetheriæ citos impulsibus auræ,
Ardua se norunt ad strictæ culmina vitæ.

Fundatur Ordo Seruorum B. Mariæ anno 1233.

Bonfilius ætate prouectior.

Quisque

Quiſque viget validæ primæuo flore Iuuentæ.
Namque prior natu ter denos computat annos,
Et minor haud Phœbi Viginti tranſigit Orbes.
Sunt alij vidui, geniali iure ſoluti;
Nondum alios iungunt ſocij conſortia lecti,
Aſt alij Vittæ ſubmittunt colla iugali,
Seiunctamque ſinunt Vxores ducere vitam,
Vel laribus proprijs, vel ſeptis ſiſtere clauſtris.
Omnibus anterior natu Bonfilius Auctor
Præcipuus legitur, rerum vt moderamina carpat.

Fundatorum ætas, & conditio depromitur.

Hic proprijs animi diffidens viribus, Aedes
Conuolat in ſacras Ardingi Præſulis, altos
Conſulat vt ſenſus, maturaque dicta ſequatur.
Tum genua amplectens, effatur talia ſupplex.
Maxime Paſtor, oues vigili qui pectore paſcis,
Tartareique lupi de faucibus eripis agnos,
Gloria Pontificum, Regum qui dogmata Regis
Promis, & ambroſio recreas pia corda lepore;
Elargire, precor, cæleſtia flamina Seruis
Supplicibus, tumidi ſuperent vt ludicra Mundi,
Aeternaſque Poli tandem tollantur ad arces.
Lux diuina mihi, Socijſque infuſa, receſſus
Suaſit adire, nouaſque vias tentare ſalutis,
Vaniſque abiectis, ſolidos captare triumphos.
Et faſtus, & opes fragilis decreuimus Aeui
Deſerere, ac precibus timidis alimenta rogare.
Optime Paſtor, Oues pedibus circumſpice fuſas,
Ac tua quærentes tantis tutamina rebus
Erige conſilijs, Pater, atque hæc omnia firma.

Bonfilius ex ſeptem primus fundatoribus alloquitur Ardingum Præſulem Florentiæ.

Ardingus miti excipiens tùm mente locutum,
Gratatur priſco ſeptenos ſanguine Ciues
Summa procelloſi contemnere culmina ſæcli,

Reſponſio Ardingi.

Aeter-

Aeternumque vale mundanis dicere Pompis.
Vos, ait, agnoſco virtute, & ſtirpe valentes,
Et Chriſti ſeruos, & veros Matris alumnos.
Aemuler ò fortes! age dum, fidenter amate
Et Prolem, Matremq; ſacra qui luce medullas
Perfundunt, Cœlorum arctas panduntque ſalebras;
Et probo conatus, & opem deſpondeo cœptis:
Ite nouella mei florentis Germina Campi,
Omnigenas Virtute citi profundite fruges,
Veſtraque diuinum foueat tentamina Flamen.
Dixerat, & lætus fauſta de Antiſtitis aula
Quiſq; migrat, properuſque incæpta explere fatigat.

Die 8 Septembris ſequentis ſeptem ſocij in hoſpitium ſe recipiunt vulgo Camartia.

Menſis erat, preſſis quo ſpumant muſta racemis;
Bis quater & nigras Aurora fugauerat vmbras,
Qua luce, auguſtæ celebratur Virginis Ortus;
Cùm ſeptem pietate Viri, zeloque flagrantes,
Concordes animis, falſi mendacia mundi
Vana relinquentes, taciturna ad tecta recedunt,
Scilicet in partes, vulgo Camartia; dictas,
Priſca dabantur vbi læti ſpectacula Martis.
Hìc quiſque expoliat ſaturatas murice pallas,
Induit & pepla abiectæ cineracea veſtis;
Circumdant humeros horrentia tegmina ſetæ,
Lautaque ferratæ connectunt membra catenæ.
Et peccata luunt, & Chriſti pabula ſorbent,
Virgineoque Ortu ſtimulantur mente renaſci.

Propriæ voluntati renunciant.

Nec ſatis Orbis habent apices ſpreuiſſe ſuperbos,
Arbitrij, iuriſque ſui ſe nutibus orbant,
Atque Deo vt viuant, ſibi ſe non viuere curant.
Tunc Bonfilium adire parant, precibuſque vocare,
Vt regat inflexas ſacro ſpiramine mentes,
Edoceatque vias, quibus ad celſum itur Olympum,

Et

Et ſibi nec parcat, nec ſtrictas laxet habenas;
Eius ab imperio ſiquidem pendere per æuum
Inſtituunt, onerisque iugo ſe ſubdere totos.

Superiorem eligunt Bonfilium.

Hic licet inuitus, parui fit Paſtor Ouilis,
Et, ſpirante Deo, confeſtim fræna receptat.
Suadet ad Ardingi fidos remeare Penates,
Conarique Patri grates perſoluere dignas,
Summa petituros, ad ſanctos, culmina mores.
Poſtera vix atras pellebat luce tenebras
Orta dies, cùm primùm alto ſe gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant;
Olli dùm Septem ſqualenti tegmine amicti,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Ac humili prorſus Florentia mœnia paſſu
Ingrediuntur, vbique vias ſtipante popello;
Sermone aduentus increbreſcente per Vrbem.
Rara animos pulſat nouitas, cupidosque moratur
Cernendi, quæ tanta trahant ſpectacula mentes,
Nempe Viros celebres, antiqua ſtirpe creatos,
Haud mora, conuerſos diuini Numinis aura,
In Chriſti famulos, lacera ſub veſte ſepultos.

Prodit ab humano non hæc ſententia nutu;
Sed Deus Omnipotens, miro qui cuncta metatur
Ordine, dulci hominum renouans præcordia motu
Extulit ad celſa auſteræ faſtigia vitæ.

Infantes lactentes vocãt ſeptenos viros Seruos Virginis.

Comprobat euentus; lactentes namque puelli
Inclamant, *Seruosque* cient ter quiſque *Mariæ*
Septenos, dùm nempè vias ad Præſulis ædes
Corripiunt, auidi vitent vt murmura, vulgi.
An tantis tumuiſſe putas applauſibus vrbis?
Aut immatura puerorum oracula voce
Inflauiſſe animos? humiles præconia fingunt;

Quin & ſublatos, popularis vt efferat aura,
Deprimit, ac tumidi vileſcunt pectore cultus.
Paſtor at Ardingus, dùm rumor venit ad aures,
Athletis ſolito maiorem impendit honorem,
Ac velut Infantes, ſacrato nuncupat ore,
Virginis auguſtæ Seruos pietate priores.
Hortatur, virtute colant venerabile nomen,
Iugis & obſequij titulos, pia geſta ſecundent.

At quid opus, cumulare ignes ad pectoris æſtus?
Maxima iam torrent imas incendia fibras,
Continuis lacerant teneros cruciatibus armos,
Vt cutis humanas ſuperet pæna aſpera vires.
Dura flagella, preces tacitæ, ieiunia longa,
Sunt cibus, atque dapes ſolitæ, quibus intus aluntur
Ilia; nec ſtimulis proprios armantur in artus,
Vtitur at potius ſuaui lenimine Rector,
Vt moderetur acerba leui certamina fræno.

frequenti procerum viſitatione anguntur.

Hæc tormenta ſibi, dulciſſima mella, videntur;
Nam mundana ſolent mentis turbare quietem,
Nempe aditus Procerum, vrbana qui voce precantur,
Acceſſu facili, nimiumque frequente, ſalutem.
Aut nouitas homines trahit, aut ſolamen amicum,
Aut documenta, nouos rerum ſoluentia nodos.
Proximus Vrbis amor pigra cogit ad otia Sanctos.

Talia ſollicitis commercia ſoluere curis,
Et ſedes mutare, & veſtigare remotas

Virgo ipſis aſſignat montem ſanarium.

Contendunt, ſolitæque rogant ſpiramina Matris.
Ardua, Virgo Parens Sanari culmina montis
Indicat; hìc ſatiùs poſſe inuigilare ſaluti,
Vanaque vitare infeſti conſortia mundi
Spondet, & hìc ſacri ſtatuunt fundamina Cœtus.
Non eſt in votis, alios glomerare ſodales,

Aſt

Aſt vnà totũm Septenos ſtare per æuum.
Tunc humiles fabricare caſas, modicumq; ſacellum,
Ac inhumare alti cunctos in vertice cliui
Incipiunt ſenſus, atq; hìc ſe condere viuos.
Mons, horæ fluxu vix ternæ, diſtat ab Vrbe;
Noſtis, & hiſtoriam vacat haud intexere longam.
Hìc caput attollit Pater Apenninus ad auras.
Incluſere caui montem ſex vndiq; colles,
Ac latum, denſumque nigra nemus abiete cingunt;
Arboris ordo frequens vernantem oſtentat honorem,
Criſpataque minax ſuper æthera cuſpide ſurgit.
Eminùs & lætos proſpectus præbet eunti;
Atque propinquanti gratos immittit odores;
Obſcurum fingit frondentibus aëra ramis,
Ac gelidas denſat ſummotis ſolibus vmbras.
Excuſſa inſultant vix atris fulgura nimbis,
Turbo nec indomitus ſæuit, nec ventus in illas
Incubuit ſyluas, leuiter ſed culmina iactans
Somniferos perflat leni ſtridore ſuſurros,
Hos inter ſaltus ad celſa cacumina montis
Itur, vbi ſeptus mediocri limite campus
Vernat, odorata viridantis graminis herba,
Aeternoque micant florentia germina Vere;
Inque ſolum lentus guttatim decidit imber,
Leniter & rorans denſa ſuper arbore ſidit.
Fætus, & herba virent, iniuria nulla laceſſit.
Quid referam, vt vario decoratus Veris amictu
Explicet hortus opes, biferique roſaria Pæſti?
Vdus vbi Cucumis, teretique Cucurbita forma,
Braſſica, Lactucæ creſcunt, olus omne vireſcit.
Geſmina, Caltha, Crocus, Violæ, Narciſſus, Anethum,
Liliaque alba nitent, & flexi vimen Achanti,

Deſcriptio Montis Sanarij.

Mellifera, atque alij, quos carpunt agmina, flores:
Cætera quid celebrem? Superat decus omne viretum.
Blanditijs rerum, & fœlicis munere Floræ
Dignus amore locus, se se venientibus vltrò
Obijcit, & sensus blandè grassatur in omnes.
Ergo loci ingenium iuga sic tutatur amœna,
Vt, licet immineant Alpinæ culmina rupis,
Nulla nocere queant glacialis frigora Brumæ;
Nec deformis hyems gelidis Aquilonibus obsit.
Ipsa nouis iucunda fauet Natura Colonis;
Sola pios cruciant spontanea lora lacertos.

Cùmque Dei voluunt animis miserentis àbyssos,
Expenduntque pios summæ bonitatis amores,
Insipidi sola vescuntur graminis herba,
Atque ita neglecto marcescunt corpora victu;
Assimilent vt membra leui squallentia crati.
Feruida tùm cupiens mulcere piamina Rector
Decernit binos ad mœnia mittere Fratres,
Qui modicis meliora rogent sibi pabula peris.
Vt primùm præclara viros Florentia cernit,
Plebs glomeratur ouans, per compita quisque vagatur,
Allectus nouitate Virùm; rursumque puelli;
Virginis en Serui, balba ter voce profantur.
Tunc fuit infantis quoque lingua soluta Benizi,
Virginis, hortati vt dentur stipendia Seruis.
Purpureo Albauerda genas tunc picta colore;
O, inquit, quàm magna mei monimenta Philippi
Infantis celebranda forent, si ferret honestum!
Hæc vbi pauca refert, Nati præludia laudis
Os premit, & lacrymæ vocem furantur obortæ.
Historiæ seriem sic ergo resumit Alexis.

Iamque premebat hyems septenos sexta Sodales;

Rursus infantes lactentes vocant illos B. Mariæ Virginis Seruos, necnon & Philippi ora infantia soluuntur.

Cum

Cùm cæpere ſimul communem degere vitam.
Iam pietatis opus multas impleuerat aures,
Fama volat, ſeptemque Virùm crebreſcit in aulis
Sanctorum rumor; Romano nobilis Oſtro
Gaufridus, totas Latij Legatus ad Vrbes,
Commotus ſermone hominum ſub rupe latentum,
Cum ſocio Ardingo petit alta cacumina montis,
Ac famam ſuperare videt, quæcumque faceſſunt.
Obſtupet aulicolas quondam, nunc ſyrmate cinctos
Hirſuto in ſpecubus crudelem abrumpere vitam;
Infirma hic cruciat ferratis membra flagellis;
Ille ſuæ indicit diuturna ſilentia linguæ;
Pultem alius ſpernit, renuitque legumina ventri;
Conditur iſte nigro recubans immotus in antro;
Quiſque ſtudet mulctare nouis cruciatibus artus.

Auſteritas vitæ.

Ipſe fremit, ſuadetque pios placare furores;
Non pudet, inquit, opus diuini Numinis arte,
Ad ſpeciemque Dei factum vos ſponte necare?
Inſtruimur, vinclis ſenſus domitare rebelles,
Et precibus vigiles interdum ducere noctes,
Atque humeros rigidis robuſtos plectere virgis.
Corpora ſupplicijs nunquam mactare cruentis,
Lex docuit; ſæuos, oro, compeſcite motus;
Viuitis haud hominum vitam, ſed more ferarum,
Corpora veſtra cibo paſcuntur ſimplicis herbæ.
Ducitis an ſatius, tormenta per aſpera, mentis
Arbitrio, vobis diram conſciſcere mortem,
Aeternam quàm velle modis acquirere vitam,
Quos homini diuina dedit Sapientia tutos?
Heù quoties Erebi lupus inſidiatur Ouili!
Quot parat & laqueos, ſacros vt fœdet amores!
Iam ſtudet ad tumidos mentes attollere faſtus,

Hortatur legatus Summi Pontificis vt leniant rigores.

Vt det præcipites Stygias Phlegetontis ad vndas,
Deijcit atq; homines interdum, vt mente labaſcant,
Ac ſe poſſe, putent, nullam ſperare ſalutem.
Ergo cauete, Viri, pugnaſque parate benignas,
Conſulite & Numen, cutibuſque ignoſcite veſtris.
Dixit; & inde migrans, mandat cohibere rigores,
Atque alios ſecum laribus ſociare Colonos,
Scilicet vt propriæ ſtudeant, Comitumque ſaluti.

Vltima tunc animis faſtidia verba miniſtrant:
Nam, licet auſteræ ſpirent ad culmina vitæ,
Præſulis at grauibus renuunt obſiſtere dictis;
Degere namque ſimul vitam ſe velle fatentur,
Velle tamen decreta Dei expectare iubentis.
Intereà precibus noctùque diùque fatigant
Numen, vt illuſtret fluitantes, lumine, mentes:
Namque, volente Deo, ſpes eſt, ſeptena Caterua
Creſcat, vt amnis aquis è vallibus impete lapſis.
Iam colit hoſpitij modicum propè mœnia Tectum,
Scilicet vt valeant bini, qui pabula quærunt,
Tranquilli refici, laſſaſque reſumere vires.
Multa Animus ſacræ præſcit miracula ſedi.
Forſitan Hoſpitium primam conſurget in ædem;
Quæ Seruitanæ fiet celeberrima Turmæ,
Et reor, &, ſi quid veri mens augurat, opto.

Illud hoſpitium iam eſt diuæ Annunciatæ Cænobium.

Tum Iacobus herus Tectorum, vbi Cætus initur,
Tali interpellat faecundo pectore fantem.
Ne pariat forſan longus faſtidia ſermo,
Supprimis hiſtoriæ multa ornamenta ſtupendæ,
Sat video, nec miror enim, mens laſſa fatiſcit.
Pace tua, referam, quæ ſat tibi nota, pateſcunt,
Quæque renidentis tollunt inſignia Cætus.
Annuit, & faciles dat curſus æquus Alexis.

Olli

Olli Iacobus ſermonem texit adorſum.
Illicito grandes Mercator fœnore quæſtus,
Immenſas & opes tota cumularat ab Vrbe;
Vt taceam nomen, ratio petit ipſe decori.
Nouerat hunc collega virum Patriarcha Manettus;
Fretus amicitia, longo quæ fœdere vincit
Pectora, auaritiæ ſubmerſum gurgite vaſto,
Curat inexpletis ſolers auertere lucris.
Finxerat ille ſui peccati ſoluere vincla,
Velleque fœnoribus malè partas reddere gazas,
Exhibet & frontem, triſti ſed fraude, ſerenam,
Inſidiſque premit monitoris colla lacertis,
Os ori iungit, dextram quoque porgit amicam.
Mira, inquit, probitas, quą vana negotia terræ
Deſeris, vt iugis lucreris præmia Regni,
Improperat quæſtus, mentemque obiurgat auaram;
Immergique pudet me ingente voragine luxus,
Dùm tu, qui ſanctam ſecreto in vertice vitam
Degis, inexpertis artus affligere pœnis,
Te ſequar, atque tuis ſocios adhibebo labores,
Haud mora, velocique legam veſtigia greſſu;
Sint tibi grata velim, quæ iam munuſcula mittam,
Pignora amicitiæ, veteriſque inſignia pacis.

Historia miraculi, quod fecit Beatus Manettus vnus ex fundatoribus ſeptem.

Iam pro lucripeta Cerealia liba Manettus
Soluit, auaritiæ vt cæco reſipiſceret æſtu.
Intereà vini, paniſque onerata caniſtris
Serua venit, pulſatque ſacræ mox limina ſedis.
Omnia tingit herus lethali dona veneno.
Diua Manetto atram manifeſtant Numina fraudem.
Tùm ſic ancillæ. libabo hæc fercla libenter,
Dummodò cuncta prior iam iam guſtaueris & tu.
Annuit hæc ignara doli, vacuumque replere

Fœnerator mittit ad Montem Sanariū munera venenata.

Oblatis ventrem donis exoptat anhela.
Hæc, auida tàm mente, inquit, ne Serua require;
Oris Cerberei ſpumas, & virus Echidnæ
Iam perfudit herus, Manes vt mittat ad imos.
Eius vt ad triſtes fueris regreſſa penates,
Inuenies auſi pœnas ſoluiſſe cruenti.
Tum Crucis expreſſo ſuper omnia pabula, ſigno;
Mox famula ſpectante, Manettus vina, dapeſque
Libat, & vlla ſuæ pariunt nec damna ſaluti.
Icta ergo terrore, lares accurrit heriles,
Strata ſolo Domini, fœdoque fluentia tabo
Membra videt, dignamque necem ſubijſſe reatu.
Proh miſeri damnoſa viri commercia quæſtu!
Quid tibi diuitiæ proſunt, dùm linquis in arcis,
Aeternùm & linquens, æternis plectere pænis?
Hæc dare Seruorum iuuit monumenta Cateruæ,
Scilicet, vt didici, nec iam memoraſſe pigebit.
Mox vbi Iacobus finem dedit ore loquendi,
Et recitata probat, grates & ſoluit Alexis,
Et ſic hiſtoriæ integrat mirabilis orſum.

Serua ad lares Domini ſui reuerſa reperit ipſum extinctum.

Iam propè ſaxoſam Campi decliuis Eremum
Nuper humi libuit ſarmentum figere vitis;
Palmite ſepteno brumali tempore vernat,
Pubeſcit fœtu, grauidis oneratur & vuis.
Et deformis hyems, & mons vicinus apertis
Alpibus accumulant teneræ miracula viti.
Nec ſibi blandiri, nec promere voce fauores
Cæleſtes audent, ſoliti aſt Interpretis altum
Iudicio iubet oſtentum deferre, ſagaci.
Ergo adit Ardingum Rector, mirabile narrat
Arcani facinus, rogat atque exponere ſenſus.
Ilicet ille ſtupet; Sanaria tecta ſubire

Vitis in monte Sanario viret hyberno tempore palmite ſepteno

Fatur

Fatur ſe cupere, ac vitem ſpectare virentem.
Intereà obijcitur ſopitis Vinea membris,
Dùm ruit, & fuſis Nox terram amplectitur alis.
Hic magnum attonita portentum mente reuoluens,
Septenùm ſubitò montanas currit in ædes,
Duriſque improperans dictis, hæc pauca profatur.
Cur iuuat, heu, Superos ſic irritare fauentes?
Cur neque tot veſtros quatiunt miracula ſenſus?
Obruta prodigijs mens noſtra hinc, inde ſubortis,
Vos, ſtupet heu! tantis nondum potuiſſe moueri.
Tùm reſerat trepido ſecreta ſtupenda Maniplo.
Myſtica, quæ ſeptem frondeſcit Vinea ramis,
Quæque videtur adhùc varijs pubeſcere botris,
Ordinis inſinuat veſtram, vbertate Coronam,
Quæ fæcunda viris, vt ramos pandet in Orbem.
Pampineis floret gemmis, turgetque racemis,
Frugibus in Chriſti ſacris nempè affluet agris,
Omniaque implebit diuo cellaria Baccho;
Scilicet innocuos operum componet aceruos.
Vos ergò Agricolæ fallacia ſparſa per arua
Cogite grana Dei, cumulent atque horrea Meſſes.
Moxque die, quo paſſus erat mortalia Ieſus,
Dum ſera accendit nocturnus lumina Veſper,
Extremos vnà Chriſti meditantur agones,
Virginis & recolunt atroces corde dolores.
Tum ſubitò diuina ſuis apparet Alumnis
Mater, & Aligerùm fulget ſtipata cohorte;
Quæ nox, antè fuit denſis obtecta tenebris
Claret, vt alma dies, dùm Sol terit arduus axem.
Alatæ funeſta gerunt inſignia Turmæ
Paſſa Redemptoris Crucis expirantis in ara.
Ales hic atra vehit lugubris tegmina veſtis.

Ardingus que vitem florentem videt in ſomnis.

Ardingus explicat vitis frondentis myſterium.

Die 6. Paraſceues veſpertinis horis Virgo apparet 7. fundatoribus ſub pompa funebri ipſiſque habitũ nigrum porrigit.

Aurea Seruorum tenet alter ſtemmata Matris
Virginis inſculpta. Auguſtini Regula ab illo
Defertur ſacra. hic viridem fert ordine palmam.
Syderei Regina Poli tùm pallia nigra
Præ manibus geſtans, hac firmat voce pauentes.

Virgo alloquitur 7. Patriarchas.

Cara mihi ſoboles, peperi quos pectore, ſæuos
Iugiter vt mœſta pendatis mente dolores;
In nece qui Nati, vt gladij, fodere medullas:
Eligo vos Seruos, morientis vt arua colatis
Prolis, & ætherea tandem regnetis in Aula.
Atra mei in ſignum mœroris ſumite pepla;
Obſequij titulos Matris geſtate perennes;
Hæc pia ſit vobis optatæ norma ſalutis
Regula, cœleſtis palmam vt carpatis Olympi.
Hæc vbi dicta dedit, ſuperas remeauit ad auras.
Præſul at in ſomnis arcana ſtupenda tuetur.

Præſul induit illos nigram veſtem, & admittit ad nouiciatum annuum.

Aduolat ad montem, myſteria viſa penetrat.
Tandem ritè nigro Septenos cingit amictu;
Quamuis & multis auſtera probauerit annis
Aſperitas homines Sanari in montis Eremo;
Iura ſodalitij non credit habère ſacrati,
Quin tyrocinij formauerit antè palæſtra.
Annua, religioſa piæ quà ſemina vitæ
Accipiant, frugeſque ferant virtutis opimas.
Hac ergò expleta, ſummoque vrgente rigore,

Emittunt profeſſionem cum tribus Religionis votis ſolemnibus.

Ordinis adſtringit votiua profeſſio vinclo,
Septenique tribus religantur pectora votis.
Nec non ſacratis Antiſtes inaugurat omnes
Ordinibus; renuo tantos ego ſolus honores;
Namque mihi ſeruo famulari conuenit vltrò;
Auderem ne miſer dias accedere ad aras,
Qui premerer vaſto ſceleratæ pondere culpæ?

Inte-

Intereà Præſul Socios cumulare probatos
Imperat, vt Cætus normam redigatur ad arctam.
Tum quoque Pontificis nutu compulſus ab alto
Verona genitus Petrus (qui ſanguine ſacro
Chriſti ſparſit agros, Fidei cùm dogmata quærit,
Et trutinat) ſummum Sanari pergit in antrum,
Exploratque nouæ moderamina cæpta Cateruæ;
Præſulis Ardingi, toti qui numine Turmæ
Maturam præſtabat opem, primumque iuuamen,
Conſulit ingenium; ſacrique exordia Cætus
Obſtupet, ac Latio mox nunciat omnia Patri;
Ordinis & mirum vulgat ſermonibus ortum.

> Præſul confert illis Ordines Sacros, vno renuente Alexi, qui voluit eſſe conuerſus ſeu frater laicus toto vitæ decurſu.
> Innocentius IV.
> S. Petrus Veronenſis Ordinis Prædicatorum tunc Inquiſitor Generalis.

Tùm furit Aenotriæ totas Fredricus in vrbes,
Nec ſacra, barbariem crudelem Eccleſia vitat.
Purpureos partim concluſit carcere Patres,
Naufragio partim miſerando ſorbuit æquor.
Bis deciesque nouos Luna implet cornibus Orbes,
Cùm Romana ſuo viduatur Principe Sedes,
Tardaturque malis electio ſumma renatis.
Nuncupat Ardingus ſolemnia vota, preceſque;
Sancit, vt inſtructum cuiuslibet Ordinis agmen
Prodeat, & Seruitæ alijs cum Cætibus vnà
Procedant, Superùmque extinguant fletibus ignes.
Ergò nouo, nigroque Pij gradiuntur amictu.
Plebs glomerata ruit, redeunt miracula prima,
Infantes iterum lactentes vociferantur.
Virginis en Matris Serui, Serui ecce Mariæ.
Seruorum exiguam hæc augent portenta Cohortem;
Confluit ex Latijs turba innumerabilis oris,
Quæ varios fingit ſexus vtriuſque maniplos.
Talia ſufficiant, nam cætera noſſe poteſtis.
Hæc vbi longa quidem, ſed mira dediſſet Alexis,

> Mortuo Cœleſtino IV. Fridericus Imperator miſit in carcerem multos Cardinales alij perierunt naufragio, & ſedes Summi Pontificis vacauit viginti menſes.

> Tum Præſul nuncupauit vota publica, & proceſſiones, vbi interfuerũt Seruitæ, & Infantes lactentes tertio vociferantur, en Serui Mariæ hoc tertiũ miraculum mirificè auxit Seruorum Ordinem.

Obſtupuere omnes, in ſummo vertice montis
Degere poſſe viros illuſtri ſanguine cretos,
Lautaque continuis cruciari corpora vinclis.
Puber at Albizus miracula tanta volutans,
Fata venenati decreuit proſpera ſæcli
Effugere, ac tutæ ſubitò captare ſalutis
Littora. ſectari veſtigia trita Sodales
Incipiunt, augentque globum ſub rupe latentem.

Recipiunt nouitios.

Ad iuga tranquillam quærunt montana quietem.
Vtque ratis Borea ſcopulis alliſa dehiſcit,
Iamque pauore fremunt nautæ, ingens clamor ad aſtra

Deſcriptio naufragij.

Tollitur, ipſa labat lacrymis, trepidoque tumultu
Pinus, & horriſonis demùm ſorbetur ab vndis.
Terribili ante oculos facie Mors dira vagatur.
Quiſque fugam lethi quærit ſibi, plurima tandem
Conatur fruſtrà, vt propiora pericla repellat:
Namque alij tabulis infractæ puppis inhærent;
Stridenteſque ſecant nudi medio æquore fluctus.
Immergunt multos immitia fata profundo,
Exigui repetunt reſonantia littora nantes.
Haud ſecùs aſſiduis Eccleſia mota procellis,
Dùm tenet Imperij ſæuas Fredricus habeñas,
Per ſumma exercet duram diſcrimina ſortem;
Tempeſtas ſine more furit, iam vortice Cymba
Myſtica diſſidij violento penè voratur.
Heù quot in horriferis lethæi fluctibus amnis
Tunc animæ, rerum merſæ periere tumultu!

Tùm multi ordines in Eccleſia ſunt inſtituti adiutores.

Cura tamen dulcem Diuinæ prouida mentis
Præbet opem, dùm nempè pias glomerare Phalangas
Aggreditur, truculenta hoſtis quibus atterat arma,
Eripiatque nouo Stygijs munimine regnis.
Quid mirum, ſi hominum ſexus cuiuſque Cateruæ
Con-

Concussæ rabidi spumosis æstibus orbis
Confugiant alacres ad littora tuta salutis?
Sic ordo tenuis Seruorum, riuulus olim
Creuit in immensum Superùm moderamine flumen:
Non Europæas modò se se extendit ad oras,
Vsque sed extremos, metas protendit ad Indos;
Decertaturas, lingua pugnante, cohortes
Misit, vt erigerent Christi vexilla per vrbes,
Dæmonis effigiem varia sub fronte colentes.
Hùc pridèm ex illa subierunt Gente sodales
Conciliorum ergò, Latia in Regione morati,
Atque antiqua statim scitati Tecta Philippi.

Ordo Seruorũ præcones misit ad Indos.

Seruitæ Indi venerunt ad Capitulum Generale.

Magnus in Ausonia Seruitarum Ordo coruscans
Excidit haud priscis, queis fulget honoribus, vsquam.
At minor, amplificus diuerso splendor in Orbe est.
Hæc rerum est series, prægrandi vt mole labascant.
Hæresis atra lues, oriunda Acherontis hiatu
Addidit hanc, oras plures grassata, ruinam.
Schismata sæpe etiam dispendia multa tulere.
Quos tamen elegit, sibi Virgo puerpera Seruos
Protegit, vt nunquam ruat alto culmine Cætus.
Non secus ac procera ilex, quæ fulminis ictu
Concutitur, folijs spoliatur, brachia flammis
Læditur æthereis, effusa stirpe virescens
Paulatim frondet, ramosque reponit ouantes;
Pulchrior assurgit, patulusque ex arbore termes
Obnubit virides rediuiuis frondibus agros.
Sic Ordo læsus Stygiæ liuore paludis
Tristia damna tulit, discrimina mille vorauit,
Attamen æternis Christi plantatus in aruis
Vellitur haud quicquam minitantis turbine Ditis;
Surgit at in varijs ad pristina culmina terris.

Comparatio.

Præsertim resurgit in Germania.

FR.

FR. GERMANI SARDI

MASSILIENSIS

Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis, Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER III.

ARGVMENTVM.

Mittitur imberbis Parisina Benizus ad arua.
Artibus & doctis socios supereminet omnes.
Cinguntur Pataui Phœbea tempora lauro.
Excipit ingenti reducem Florentia plausu.
Corporis arte leuat morbos, animisque medetur.

Septem Fundatores non receperunt sodales in monte sanario, nisi transacto sexennio.

SOlus bis ternum Septenus duxerat annum
Cætus, in excelso Sanari vertice montis,
Et nouies emensus iter, cœlestia Phœbus
Transierat Signa, & cursu lustrarat anhelo,
Dum præclara piæ renitent monimenta Cateruæ,
Ordinis ac sacri normam consurgit in arctam.
Cùmque Sodalitij celebrantur gesta recentis,
Magnaque sparguntur virtutum exempla per Orbem,
Innocui pietas fulget quoque dia Philippi,
Solisque vt radius, totam vibratur in vrbem.
Aestuat intùs amor, sacrisque incendia flammis
Pectoribus glomerat, rigido cùm membra labore
Excruciat, tentatque vias ad Montis acumen
Fatalis, dudùm quem toto pectore anhelat.

Tunc à 15. annis ordo inceperat, & eodem anno die, & mense cum ordine ortus est Philippus.

Solli-

Sollicitis ſtantes oculis, animiſque Parentes,
Quidquid agat Proles ſtudio ſpeculantur acuto.
Continuos aditus ad ſanctos ſponte Cucullos
Obſeruant, tandemque iugi pia tendere vota
Sanati ſpectant ad ſacram prorſus Eremum.
Anxia Mater agit triſtes in pectore luctus,
Omina dum Pueri cæleſtia mente reuoluit.
Virginis exhibitos, ſobolique,ſibique fauores,
Votaque, pro optata quibus æthera, prole, vocauit;
Illa tamen renuit diuis obſiſtere iuſſis,
Atque Dei Matrem ingrata irritare repulſa.
Infremit & Pater, atque gemens in prole vel vna
Extingui Gentem Proauûm ſplendore micantem,
Conatur totis humilem deducere Natum
Viribus, à cæptis, & iura paterna minatur,
Inducitque animum, puerum non voce cieri
Diuina, at leuitate ſua faſtigia ſæcli
Spernere velle priùs, quàm ſana mente volutet,
Abſentiſque fore,vt deliria vana fugentur,
Mutatiſque locis, ſtudij mutetur & ardor.
Aduocat ergo ſuum manſueto corde Benizum,
Talibus ac dictis extinguere nititur ignes.

Pater Imperat Philippo, vt pergat Pariſios philoſophiæ ſtudendi cauſa.

Cara mihi proles,Gentis ſpes vna ſuperſtes,
In ſæclis quæ tanta retrò monumenta reliquit;
Cuius origo æquat Bifrontis tempora Iani,
Cuius & exuperant ſtellas Heroes Olympi,
Cuius limes ero, limes ſi clauſtra Benizus
Eligat, vt noſtræ claudatur gloria ſtirpis.
Quò tibi mens ſubijt longæuum linquere Patrem,
Et Matrem, ſimul vt tumulo condamur eodem?
Iam ſi fata iubent in ſacra ſiſtere Cella,
Mente reluctabor nulla, decreta ſequemur.

At ſcrutare priùs, nùm talia Numina mandent,
Ne vertare retrò, dùm dextra prendis aratra.
Hactenus inſtruimus calidam, feruore iuuentam;
Perge Pariſiacam ſophia erudiendus, ad vrbem,
Et ſtudijs incumbe, virùm quæ nomen adaugent,
Vt tandem ſurgas virtute inſignis & armis.

Heù! quid agas Iuuenis? quò te mens turbida vertat?
Anxius eſt animus bino diuiſus amore.

Grandis pugna in corde Philippi.

Hinc Pater omnipotens, veræ pietatis origo,
Pellit ad æthereas diuino Flamine ſedes.
Hinc Genitor, ſacri neglecta Montis Eremo,
Inſpirat faſtus, & celſa cacumina Gentis.
Infœlix Clytie, binus tibi fulget Apollo,
Floſcule, quem tandem pronus ſectabere Phœbum?
Torret amor duplex teneras ardore medullas;
Diuus & vrget amor, flammataque ſpicula vibrat;
Et rapit humanus, cordique incendia voluit;
Ac paribus mentis trutinis libratur vterque.
Quò te fata cient? quis amor ſuperabit amantem?
Pandit vterque tibi ſummæ faſtigia ſortis,
Nempe polique, ſolique ſimul ſpondentur honores.
Heu! quid puber agas? quò te mens anxia flectat,
Dum quateris gemina patrij formidine iuris?
At litem dirimit, dum paret vtrique parenti.
Illicò mortalis mandata parentis adimplet,
Vt diuina queat maturo tempore tandem,
Aeternique Patris decreta explere viciſſim.
Sat nouit, quibus ille modis hìc cuncta gubernet,
Ac demùm optata dederit ſe fine potiri.

SanctusLudouicus.

Iam celebris fulget Pariſina Palæſtra per orbem,
Doctrinaque ſcholas pura ſupereminet omnes.
Tum Regnum virtute pia Lodoicùs amœnum
Exco-

Excolit, & sacram pretio stimulante Mineruam
Continuis satagit curis sine labe doceri,
Fredrici vt valeat tabem pulsare, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.
Hæc mouet affectus celeberrima fama paternos;
Hinc Genitor sperat Prolem virtutis ad altos
Posse apices tolli, proauùmque excellere gestis.
Ante Benizus iter quàm carpat, iussa parentis
Expleturus, amor, quo sacras feruet in Aedes
Virginis, impellit Sanari ad limina montis.
O quantis flagrat Iuuenis præcordia flammis!
Quot pariunt teneris diuortia, dura medullis
Tœdia! quot madidis rorantur fletibus ora!
Quæ me fata tuis auellunt, inquit, ab vlnis,
Virgo Parens? quæ sors rapit inuidiosa quietem?
Tu mea spes, tu sola mei solamen amoris.
Non ne infida tibi succendit pectoris iras
Mens mea? firmantur nunquid decreta Meorum,
Nempè vt conuictus abeant commercia nostri?
Separet at mæstos absentia corporis artus,
Firma meæ haud poterunt violari fœdera mentis:
Longinquis comitare vijs, ac dirige gressus,
Ne pede dilabar, dùm passus ambio rectos;
Quin prius emoriar, quàm diuæ Prolis honores
Vel minima lædam noxa, obsequiumue relaxem.
Funde coruscantem celso de culmine lucem
In mentem, vt meliùs, claras accingar ad artes;
Ac pia componam flexos ad Numina motus.
Exime lethifera dilectos sorte Propinquos;
Vtque sinant, spira, promissa exoluere vota,
Sacrata quibus Aede teri me calcibus opto.
Ne moueare, premi me grandi pondere culpæ;

Veniam à B. Maria Virg. postulat antequam petat Parisios.

Oratio Philippi.

Toto namque meæ tædebit tempore vitæ,
Austerisque cutis tabescet marcida pænis.
Poscit ab Athletis veniam quoque Puber amicis,
Qui veneranda colunt Sanari culminis antra
O quot amicitiæ promuntur vtrinque pudicæ
Signa! quot ardentes comburunt viscera flammæ!
Si rideret, ait, vultu mens Diua sereno,
Non ego nunc vestro amplexu diuellerer vsquam;
Ast alio me fata vocant, si Numina tandem
Annuerint, hoc flebo graues in vertice mendas.
Hospes ero vester, pia, vos, mihi norma salutis,
Securos studijs sternetis ad æthera calles.
Hæc bonus alloquitur claros virtute Philippus,
Magnorum, qui cuncta solent prædicere, Vatum.
Nec tamen obscuras Diuinæ mentis abyssos,
Hunc fore Seruitam, Thaumaturgumque, penetrant;
Tùm sibi nempè Deus secreta arcana reseruat,
Vt legat arbusti maturas tempore fruges.

Veniam quoque postulat à Patribus Mōtis Sanarij.

En Iuuenis Sophiæ Parisina immersus in vnda,
Nauigat alta maris, velut alnus ad æquora præceps,
Quam nullæ Syrtes, quam terret nulla procella,
Nec Phlegetontææ vis vlla moratur arenæ;
Namque sibi studium, sacrum putat esse laborem,
Numinis vt summos æterni discat honores.
O vtinam qui docta colunt præcepta Palestræ,
Palladis arcanis præferrent dogmata Christi,
Huius & exemplo virtutis laude micarent!
Non vanum inflaret vilis doctrina cerebrum,
In tenues quæ crebra solet vanescere fumos,
At solidum impleret veneranda scientia pectus,
Omnibus ac tandem sanos ferretur ad vsus.
Annuus intereà dùm Cœlo clauditur Orbis,
Solli-

Sollicitis Genitor vexatur pectora curis.
Rara Parisiacis defertur epistola terris,
Vt discat, quid Natus agat, qua mente trahatur,
Et vigil an tempus studijs impendat honestis.
Fortè Parisina Clarissimus vrbe reuersus,
Nam germanus erat Patriarchæ frater Alexis,
Progenie illustris, docta præclarus & arte,
Anxia sic miris Patris præcordia dictis
Recreat. O vtinam mihi, ait, fortuna dedisset
Tale decus sobolis! iucundus fata subirem.
O fœlix, ò terque, quaterque beata propago!
Quid referam de Prole, modis quæ cuncta disertis
Fundere verba solet? celeri quæ mente retentans
Rerum arcana, sacras animo deglutit vt escas,
Seque Deum gustare putat, dùm pectore versat?
Ardua cùmque nequit facili penetrarę labore,
Implexusque animus caligine voluitur atra,
Obscuras Fidei duci se gaudet ad vmbras,
Inque Dei iubare immenso festinus adorat,
Quas valet haud propria cōprehendere luce tenebras.
Abdita mente humili Sophiæ maiora retexit,
Quàm quæ continuis tentat cognoscere curis.

Alexis vnus ex fundatoribus Ordinis Seruorum.

Clarissimus ipsius frater describit mores Philippi.

Præuenit interdum solertia fertilis altas
Materies, tantaque aperit ratione profundas
Naturæ causas, stupeant vt sæpè Magistri,
Et Iuuenes, qui docta scholæ secreta volutant,
Ingenij vires, mysteria tanta ferentis,
Lustrantisque poli motus, Lunæque labores,
Mirificos Phœbi cursus, Telluris hiatus,
Prælia ventorum, tonitrus, pelagique recessus.
Nec tamen insigni, qua splendet, mente tumescit.
Plus humilem, quem carpit, honos ex nomine reddit;

Subtilitas ingenij.

 Tar-

Tardior ingenio quasi sit, minimusque sodalis;
Humilitas ipsius. Ipsa loco duræ sibi sunt encomia pœnæ;
Fungitur officijs, & onus quodcumque Lycæi,
Colloquijque implere vices lætatur, & vrget;
Cùmque manus sociæ certamen inardet amicum,
Exprimit arcanos grato moderamine sensus,
Ac placidis sedat subitos sermonibus æstus,
Nulla super comites ex tanto lumine iura,
Quo nitet, vsurpat, sed tunc abiecta videtur
Mens magis attolli, & sacro spiramine prodi;
Dùmque vices explet, diuina oracula fundit;
Ipsius ingenium Doctor, socijque stupentes
Continuo vellent dulcis modulamine linguæ
Aure frui. O quoties rudibus solamina præbet,
Dùm nequeunt, velut ipse, citi penetrare retrusas
Rerum naturas! quoties se multa latere
Dissimulat, doceant vt, quæ sapit altius illis!

Iam reserare modos refert, vt in vrbe moratus
Instituit vitam, Sophiæ dùm culmina tentat;
Namque ità conatur rectos componere mores,
Eius pietas, & studium. Puberis vt nullo sordescat crimine pectus.
Conterit haud vsquam sub deside tempora luxu;
Lectio, vel pietas totam furatur inertis
Corporis requiem. quotiès cohibere sodales
Nititur, hortantes, animum vt quandoque relaxet,
Atque Deo, & studijs vltrò incomitatus adhæret?
Cùmque Dei ob cultus, arti nulla otia dantur,
Pensa diurna capit, modico quod tempore restat.
Subtrahit haud quicquam diuinis ritibus, alta
Numina queis proprijs veneratus sedibus olim est;
Ast eadem iam sacra pio feruore frequentat.

Dùmque modis vitare potest consortia nullis,

Vt mens à curis defeſſa parumper aberret,
Vtitur oblata ſapienter temporis hora,
Vt trahat ad ſummum ſocios virtutis amorem, *Erga omnes affabilis.*
Eripiatque leuis fallaci indagine mundi.
Eſt grauis & geſtu, dictoque affabilis omni.
Illa ſodalitio variæ ſchola ſortis abundat;
Attamen ergà omnes facili ſibi conuenit arte:
Nam primas Superis defert; æqualibus vllo
Haud deeſt officio; minimis præcordia pandit;
Pauperibuſque pium, genio vergente, leuamen *Largus in pauperes ſodales.*
Munificus conferre ſolet, tenditque benigno
Difficiles animo Sophiæ mulcere labores.

Dic, precor, ò Princeps populoſa Lutetia Gentis
Liligeræ, Sorbona, decus, dic vrbis & Orbis;
Flammatas quoties vigilans prudentia rixas
Placarit comitum! quoties errata lituris
Pungere ſollicitis curarit, regna labarent
Vt vitij, & virtus ageret generoſa triumphos!
Pande quot in mores prauos ſuadela ruentes
Emendarit! amor quot in almos egerit hamos
Numinis, horrendo ſub culpæ gurgite merſos!
Obruta quot tenebris luſtrarit pectora flammis,
Vt monſtraret iter cæleſtis tutius Aulæ!
Denique quot Stygijs prædas reuocarit ab vmbris,
Vt reſtauratæ Diuina trophæa ſalutis!
Sic Sophiam ſacra nectit pietate Benizus;
Omneſque ingenua ſocios ſupereminet arte.
His tacet illuſtris Clariſſimus ordine dictis.
Aure bibit Genitor dilectæ nomina Prolis; *Lætatur Pater de profectu ſtudiorum filij.*
Gaudet & ingentes ſtudijs decerpere fœtus.
Cernit vt eximium patrij fulcimen honoris;
Ac velut antiquæ decus indelebile Gentis:

Neſcit

Neſcit enim, quò tecta Dei decreta vocarint,
Diſtet ab humano regimen quàm Numinis altum,
Quàm velit & Nati meliorem reddere ſortem.

Tunc erat idem animus, totam ſenſuſque per vrbẽ,
Nulla vnquam Patriæ, laribuſque iuuamina ferre,
Qui rerum occultas inhiant cognoſcere cauſas,
Signorumque obitus nimium ſpeculantur, & ortus,
Quique morantur humi, & vaſto ſpatiantur Olympo.

Florentini putabant viros ſtudijs deditos ineptos eſſe imperio.

Reſpuit acta feri ſpeculator atrocia Martis,
Firmaque compoſitæ neſcit moderamina pacis.
Iam ſedet hæc eadem menti ſententia Patris:
Cùm meditatur enim Sophiæ ſecreta Benizus,
Implicitas Logicæ Syrtes, & inhoſpita mentis
Entia ſolliciti ſpeculaminis orbe reuoluit,
Sic Pater eloquitur. Vereor ne docta labori
Succumbat Soboles, vereor ne blanda voluptas,
Quam capit in ſcriptis, vires eneruet agendi.
Crebrius ingenij ſtudium perſtringit acumen,
Imperioque animos meditatio reddit ineptos.
Quid grauibus prodeſt curis torquere cerebrum,
Ni valeat Patriam, proprioſque iuuare Penates?
Scire hominem ſatagat Proles, & auita requirat,
Nobilitatis honos, quæ culmina ſemper anhelat.
Dixit, & altiuolas exoptans demere pennas,
Scribit, vt & medicas ediſcat ſedulus artes:
Tùm namque Auſonijs Medicina vigebat in oris:
Atque indè & Proceres ſplendorq;decuſque manebat.

Scribit pater vt pariſijs ſtudeat medicinæ.

Patria iuſſa boni percellunt corda Philippi,
Dùm videt ad tumidi faſtus ſe accingier Orbis,
Quem totis, velut atrum horret conatibus Orcum.
At licet internis penitus pugnantia votis
Sint oneroſa ſibi rigidi mandata Parentis;

Ille

Ille ſui oblitus ſubiecta mente faceſſit,
Præpete Pæoniæ cura ſe tradit & arti;
Mens tamen ingenti circumdata luce penetrat
Multa ſimul, varijſque valens attendere rebus
Incumbit ſtudio, Diuina arcana docenti.
Dùmque hominum ſatagit mortales noſcere morbos,
Alta Dei pariter contendit Nomina ſcire.

Dat operam medicinæ.

Henricus Doctor ſolemnis nomine dictus,
(Nam ſibi doctrina tale eſt cognomen adeptus)
Tùm loca prima tenet Sorbonæ fortè profeſſor.
Ordinis hic decus eſt Seruorum, luxque perennis;
Et quibus infenſos, Romana fudit in aula,
Dùm ſanctam liuore ſtudent abolere Coronam.
Nouerat Henricum iuuenis documenta Benizus
Cum pietate ſimul ſolitum miſcere profunda.
Huius amicitias iam pridem ritè colebat;
Sub tantoque Viro myſteria ſacra Palæſtræ
Diuinæ didicit, varios ſparſitque per Orbes;
Facundo ſacras cùm funderet ore loquelas.
Quid mirum, à ſtudijs tantas ſi colligit artis
Supremæ fruges, & mentes tranſilit altas?
Imbuit à teneris animam Sapientia cunis,
Quæ docet amplexus Sponſi libare pudicos.
Quælibet occurrat mentis caliginis vmbra,
Vertitur in claram ætherio ſpiramine lucem,
Maiorique nouæ virtutis imagine ſplendet.
Biblia ſacra legens, nutricis vt vbera ſugit,
Cœleſtique almam perfundit nectare mentem.
Intemerata bibit diuini ex Codice veri
Dogmata, ſimplicitate ſtylum frangente tumentem.
Nouit in hoc ſolui ſubtiles littore ſenſus,
Aequoris vt motos Phlegetontis turbine fluctus.

Studuit Theologiæ ſub Hẽrico Gandauenſi Ordinis Seruorum Procuratore Generali in Romana Curia.

Legit Sacram Scripturam.

Tum

Tum cœlestis amor rapidis præcordia flammis
Ambit, vt amnis agros, dùm præceps exit ab alueo,
Et ruit exſpatiatus aquis, & inundat apertos.

Dùm vacat huic, operam Phœbeæ impendit & arti;
Neutra fesſus, vtrique ſtudet, carpitque vtriuſque
Veſtigante breui dulces indagine fructus.

Simul ſtudet Theologiæ, & medicinæ.

At precibus maiora pijs arcana recludit,
Quàm capiat longo ſolamina grata labore;
Profectuſque latet, totumque in mente recondit.

Comparatio.

At velut ignis humo, diuturno tempore clauſus,
Erumpit tandem, ac fracto ſe carcere trudens
Aeſtuat, & liquidam volucer ſe tollit ad Aethram;
Sic tegit abiecto ſublimes pectore ſenſus,
Nec cupit in lucem raras exponere dotes:
Ipſo namque graues vltrò ſe pondere produnt:
Ac licet inuitus demùm mirabile lumen
Promit, vbi primum congreſſus impetus vrget,
Scilicet ad decimum cùm nonum adiecerat annum;

Annum decimum nonum.

Quo tandem ad ſtudij peruenit tempore metas.
Rebus in abſtruſis ludens cùm nubila ſoluit,
Clariùs alta docet, quàm quæ docuere Magiſtri.
Fœlix, quem Deus ipſe docet! nam luce ſuperna,
Qua mens inſtruitur, carbones fingit Achates.

Tempora dùmque vident ſtudiorum fluxa Parentes,
Aſſiduè quibus incubuit cariſſima Proles,
Nomineque inſigni, iugique refulget honore,
Iungere preſſa moras per longas oſcula vellent.
Sperant, aſpirant, blandiſque amplexibus ardent;
Tædet & abſentis Iuuenis, tardique regreſſus.

Patauij ad lauream doctoratus euchitur.

Pergit at ille cito Patauina ad mœnia paſſu,
Dùm redit, vt ſeruans vrgentia dicta Suorum,
Cingat Apollinea victricia tempora lauro.

Hic

Hìc tam mirifico complet ſua munera nixu,
Vt plauſu, fremituque Virùm, ſtudijſque fauentum
Conſonet omne ſolum Pataui, ſenſa alta ſtupentis.
Ille dolet ſolus, qui ſolus gaudia præbet;
Intima ſollicitus contriſtat pectora mæror;
Dùm tota vrbs alacri memorat præconia cantu.
Triſtitiæ quæ cauſa premit? quæ pœna dolores
Accumulat tantos, animæ depaſta quietem,
Dùm celebrant omnes ſolemni encomia ritu?
Mæret ouans, dùm quippè nequit vitare triumphos,
Triſtatur, dùm feſta ſibi ſpectacula noxas
Suppeditant, faſtuſque animis alimenta miniſtrant.
Denique vana dolet ſtulti commercia ſæcli,
Ad quæ ſolliciti compellunt iuſſa Parentis,
Dùm manſueta Dei conſortia ſedulus ambit.

Reſpuit laudes.

Tale Philippus onus triſti dùm mente reuoluit,
Queſtubus in ſortem mœſta ora reſoluit, & infit.
Quæ me fata iubent, decus hoc captare moleſtum?
Heù patrij quàm dura mihi ſunt vincula iuris!
O vtinam nodis connexa tenacibus ora,
Nulla retorſiſſent medio certamine verba!
Sed tu, ſumme Deus, mutas quem ſoluere linguas
Sæpè iuuat, cur non inuerſo cardine voces
Iuſſeris atque hærere meas in faucibus vltrò,
Vt me deijceres, turbæ dùm fauſta canebant?
At mihi, Numen, ades, ſupremaque lucis origo,
Qua ſine nil didici, cùm tota induſtria mentis
Sit radius, ſurgenſque tuo de lumine lumen.
Diſcere te vellem, totius & inſcius orbis,
Vt, te dùm noſco, lateant me cuncta ſcientem
In te cunctarum Genitore, & Principe rerum.
Dixerat, & finem querulo dedit orę loquendi.

Queritur Philippus.

His Pataui gestis, patrias aduentat ad arces.

Pins regressus Florentiam.

Lætitiam, quæ lingua queat celebrare Parentum?
Mox Pater accurrit, longisque amplexibus arctat;
Tùm Genitrix pulso vultum mærore serenat,
Mistaque blanditijs cum fletibus oscula iungit.
Intentos vtriusque oculos, mentesque voluptas
Oblectat; geminata Domus tùm gaudia plausu;
Optatis explent gratantia pectora votis.
Vrbs quoque tota ruit; reducique rependit honores
Immensos, allecta pij virtute Benizi.

Plausus Vrbis & suorum.

Nec tamen illato tumefactus honore superbit,
Nec magis incæpto vultum sermone mouetur:
Omnibus intereà mites, gratosque probare
Desinit haud animos: sed condit pectore luctus,
Ac dolet ex reditu fastosa penatibus indi.

Dùm tot amicitiæ soluuntur signa Philippo,
Insignesque notæ obsequij promuntur vtrinque,
Infestat Mundi simulantia verba docentis

Ægrè fert congratulationes & vrbanitates reciprocè obeundas.

Indecorè officium, stultos quo ludit amicos,
Fallere qui incautos discunt, fallique peroptant:
Ore student vacuos fucato vendere fumos:
Proximiore cutem curare numismate suada
Melliflua, & vanos aulæ captare fauores.
Congeries Iuuenem verborum ficta fatigat;
Implicitis animum laqueant incommoda nodis;
Et Superùm cultus, & pensa diurna retardant.
Munia nulla tamen, quæ cuique tenetur obire,
Denegat, opportuna sibi sed tempora sumit,
Diuinum vt toto veneretur pectore Numen,
Et quod agit, sorti, medicæ referatur & arti:
Ne tot & indicijs diuturni fultus honoris
Infletur, Procerumque amplexus tollat ouantem

Splen-

Splendidus, horrificos cæpit geminare labores,
Insolitoque suum cruciatu plectere corpus,
Vt quanto in Patria plausu præconia nomen
Extulerint, tantos patiantur membra rigores.
Sæpè Sui duxere, vijs, studijsque Benizum
Extinxisse rogos, diuosque in Numina motus,
Aut modicum superesse sibi pietatis amorem;
Namque bonos etiam consortia praua malignos
Efficiunt Iuuenes, censore à patre remotos.
Obstupuere ergò Genitores intima Prolis
In Superos vri simili præcordia zelo,
Quo feruebat amor patrijs cùm sedibus exit,
Ac fugiebat honora leuis fastigia mundi.
Exagitat Patrem stabilis sententia Prolis;
Hinc tales mæsto depromit corde loquelas.
Nate, meæ requies, spes dulcis & vna senectæ,
Cuius inardenti colui feruore iuuentam,
Iam didicisti artes, apices iam vectus ad altos
Stringis Apollineo fœlicia tempora serto;
Ingenij robur totam quoque peruolat vrbem;
Famaque virtutis varijs crebrescit in oris.
Collige iam fructus studiorum clara docentum
Scandere tùm patriæ, tùm nostræ culmina Gentis,
Ac profitere tuis medicandi viribus artes,
Municipum vt potiùs cures seruire saluti;
Quàm laribus segnis, desesque vagere per vrbem.
Iactitat Arnus aquis cunas lustrasse Philippi,
Atque rigasse tibi primæuæ germina vitæ.
Sentit odoriferos studiorum Sequana flores.
Medoacus suaues ornat diademate fætus.
Inclyta te genuit Florentia, clara Benizis.
Hæc frugum, florum, gemmarum fiat aceruus;

Pater hortatur Benizum, vt exerceat medicinam.

Arnus rigauit infantiæ germina. Sequana flores studiorũ.

Medoacus laurea coronauit.

Gesseris vt quæ alibi, Patria repetantur in alma,
Omniaque excipiat cari monimenta Philippi.
Hæc vbi dicta, Patris subitò præcepta facessit,
Pergit, & ad medicas contendit protinus artes;
Queis, veluti trabibus suffigitur ore paterno,
At Ducis imperio qui mox parere paratur;
Ardua quæque solet decori reperire secunda.

Corpore gratus erat specie, viridique iuuenta;
Fulget in egregio lepor insuperabilis ore;
Clarus & eloquio, & fama volitante celebris
Pectoribus sacros spirat virtutis amores.
Maiestatis honos augusta in fronte coruscat;
Elucet grauitas fastu iucunda remoto;
Simplicitate pudor regnat, cumulatque decores.
Frangitur ipsa pio petulantia victa rubore;
Corporis, atque animi rapiunt hæ, pectora, dotes.
Vt primùm exequitur, medicosque amplectitur vsus,
Munera quis referat, quibus ægris arte medetur?
Diues, inops tutum feruore haud impare captant
Auxilium, tantoque viget solertia ritu,
Crescat vt Vrbis amor, velut ignis fomite pastus.
Nec stupeas, si plebis amor tanto æstuat igne,
Ardor auaritiæ non ilia sordidus vrit:
Cura etenim Patriæ medicum mouet vna salutis;
Aegris compatitur, cunctis est æger in ægris;
Pallidaque exangui dùm squallent corpora morbo,
Mirificum iucunda solet præsentia ferre
Solamen, sibi nec parcit, cùm febris acerba
Pugnat in ægroto, ac propiora pericla minatur.
Ipse lepore luem minuit, vel lenit acutam;
Vel docet ingentes patienter ferre dolores.
Nec solet optatas ægris adhibere medelas,

Venustas, & lepor omnes in admirationem trahebant.

Quis infirmatur, & ego non infirmor.

Quin

Quin prius implorarit opem medicaminis altam
Cælestis Medici, rerum summique Satoris,
Cui totum consecrat opus, commendat & ægrum;
Cui, monet, vt pariter toto se pectore dedat,
Præter eum nequijsse vllum reparare salutem;
Confidat, supplexque manum ferientis adoret.

Implorat opē diuinam ante medelam.

At quò tam faustè febribus medicatur anhelis?
Ne mirare, solent medicatus vota præire,
Assiduæque preces plures depellere morbos,
Quàm quæ Pæonijs releuant medicamina curis.
O quoties medicina tegit peccata medentum?
Sed medicina tegit miracula sæpè Philippi.
Cùmque ita languentum morientia corpora sanat,
Lingua animas soluit noxarum compede vinctas;
Quæ medicina parit fastidia longa palato,
Mulcet, & ætherio satagit condire sapore.
Dulcia nec celebris venatur murmura laudis;
Carior est sibi vita ægri, quàm fama medentis.
Perniciosa licet morbi contagia noscat;
Nil, sibi diffidens audet committere sorti;
Consulit at socios, quos nouerit arte peritos;
Reddat vt incolumes potiore iuuamine vires.
Talis erat medici solertia, mensque medendi.

Sæpe medicina tegit peccata medicorum.

Artis Apollineæ non ergò docta facultas
Absumit virtutis opes, nec dona cöercet,
Candida sydereis quæ torrent corda fauillis;
Nam licet in syluis, inter deserta ferarum
Lustra sub hirsuto non degat syrmate vitam;
Dùm tamen incumbit tali satis impiger arti,
Aestuat intus amor, stabilemque sub arte quietem
Inuenit, arcanæ quam reperit hospes Eremi.
Cernit in ægrotis diuinæ symbola frontis.

Nonnè

Nonnè suos Numen depinxit in ore colores,
Sæpè ait? ò vtinam qui fœdant pectora morbi,
Non magis opprimerent grandi præcordia mole,
Quàm quas sollicito pepuli medicamine tabes!
Oratio Philippi ad Christum. Omnia, summe Deus, qui sola voce resarcis,
Morbida dùm sano irrequietis corpora curis,
Terge animæ maculas Stygia nigredine tinctas;
Dùm medeorque malis alienis, fac, mea curem.
Vt quid sanem alios, propriæ haud memor ipse salutis?
Languesco, taboque fluo, sanieque putresco;
Aug. sol.c.2. Opportuna mihi solamina posco Medentis.
Cæcus ego, tristemque traho sine lumine vitam.
Quæro Iubar, nigras abigat quod luce tenebras.
Occubui, me morsque atras detrusit ad vmbras,
Vitam suspiro, subreptam postulo vitam,
Tu Medicus, tu Lux, tu Vita æterna, Redemptor,
Heù miserere mei, Pater heù, miserere clientis.
Quæ medici pietas? quibus ignibus ardet in ægros?
Quid non tentat amor, quem dirigit Author amoris?
Assiduus delubra petit, festinat ad aras,
Quas amplis cumulat donis, & sacra frequentat,
Vt diuina luant squallentes balnea sordes,
Atque animis lotis, soluantur corpora tabe.
Tunc ægros inuisit ouans; interque medendum
Importuna sibi commercia rumpit amica,
Exuit & noctuas vigilanti pectore curas;
Nam miseræ mauult spectare incommoda sortis,
Vt ferat optatum sacra pietate iuuamen,
Quàm firmare hominum vanos imitamine mores,
Obijcere & sese recidendi mille periclis.
Functus at ægrorum curis, mentemque relaxans,
Protinus & facili Naturæ arcana labore
Voluit,

Voluit, & à cunctis clarè ſibi rebus apertis,
In Diuina modis tollit ſe culmina miris,
Menſque extrà ſenſus interdum rapta leuatur.
O quàm multorum differt à more Medentum,
Qui veluti ſummum, Naturam Numen adorant!
Cùmque tenebroſas curant cognoſcere cauſas,
Ignorant Primam, quæ condidit ore ſecundas.

FR. GERMANI SARDI

MASSILIENSIS

Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis, Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER IV.

ARGVMENTVM.

Fausta Benizus habet totius vota Senatus:
Attamen oblatos renuit constanter honores:
Maxima discordes subeunt dispendia Ciues:
Dæmonis, & vacui superat certamina Mundi:
Fluctuat incertus, dederint quam Numina sortē.

Amatur in Patria.

EXimium virtute virum monimenta Benizum
Tot pręclara canūt, nomēq; ad sydera tollūt.
Tota coruscantes, celebrat Florentia dotes,
Inuidiæ, superant mordacis, gesta furores.
Mellito, priuata fluit suadela lepore.
Publica facta colit, veluti miracula vulgus,
Religione viget, nulli probitate secundus.
Sistit in ore decus, releuat sapientia mores.
Infima plebs, Proceresque vrbis, clarusque Senatus
Hunc vt iucundos Patriæ venerantur amores.
Quem non alliciant insignia tanta pudoris?
Respuit at plausus, tumidæque encomia laudis;
In primamque refert, quæ condidit omnia, Formam.

Exemplis prauos mores reformat.

Eius ad exemplum totus componitur vrbis,

Ac

Ac renouatur honos; prauæ commercia vitæ
Quiſque auerſatur, moreſque reformat inertes.
Ipſa iuuenta ſuis nimis aſpera motibus, arcet
Sponte tumeſcentis feruentes pectoris auſus,
Ac moderatum animis, curat ſimulare Benizum.
Illius, obiectant natis, exempla Parentes.
Nil turpe in geſtis, nihil & iuuenile vireſcit,
Moribus egregijs caneſcit clara iuuentus,
Apparetque inter, tam miti fronre, coæuos,
Frigida ſydereis accendat vt ilia tædis,
Et trahat in tutum, ſolidæ virtutis aſylum.
Claudit in effrænis hominum congreſſibus, ora
Immoderata pijs aſpectibus, atque propellit
Infandas, quas fœda vomit petulantia voces.
Effugit & frontem, vitium deforme pudicam,
Dùm ſacræ, renuit virtuti ſubdere colla.
Tale decus, taliſque probi dulcedo Philippi
Mitigat infeſtos priſcæ Propaginis hoſtes,
Horrenteſque hebetat longo liuore bipennes,
Nulloque armati quaſſatur turbine ciuis;
Quin ferre ad ſummos pars vtraque vellet honores;
Venatur, dùm quiſque leuis, ſuffragia plebis,
Ambitioque agitat mentes veſana ſuperbas.

Manſuetudo Philippi ſuperat hoſtium domeſticorum inuidiam.

Tunc meritum certat, clari pro ſorte Benizi,
Militat alma viri pietas, parteſque tuetur.
Labitur in Procerum penetralia, nominis aura;
Publica diuinas, laus vrbis inaugurat aras;
Vox tandem Patriæ faſtigia ſumma precatur,
Et ſuper inſignes, palmarum vellet aceruos
Tollere, ſi claræ, patiatur culmina ſortis.
Deſpicit at pompas, apiceſque, & munera ridet,
Nobilis & binas ludit conſtantia partes,

Reſpuit honores.

Dùm sæpè oblatos, hortantur carpere fasces;
Cuncta animo temnit, cunctis sublimior ipse.
Numina si scirem, fatur, suprema rogare,
Vt mala, quæ Patriam sternunt, funesta repellant,
Gauderem procul à fastu, reperisse secures,
Queis vrbem promptus valeam fulcire cadentem.
At quis ego? mea, quæ tantis solertia rebus?
Quique tenere suæ nescit moderamina vitæ,
Quomodo fraternas tractabit ineptus habenas?

Splendida fræna potest firmis vitare repulsis,
Nulla negare tamen valet opportuna roganti
Munia, sæpè quibus varias industria lites
Officiosa pijs tentat componere curis.
Rebus in extremis Prudentia mira refulget,
Quæ responsa refert, oracula sancta putantur.
Consilijs, quæ iusta suis dat semper amicis,
Nulla vel auderet facundior addere verba; Prudentia.
Concedit matura senum experientia palmam.
Consulitur, dubijs cùm mens de rebus acuta,
Approbet, vt fallax, quos fingit opinio, sensus,
Quærere dùm simulant discordes fœdera ciues,
Ille dolos retegit, mentisque serenat opaca.
Ac veluti Phœbus, vitreis dùm surgit ab vndis,
Obscuro, spissas detrudit ab aëre nubes,
Ac nitidis totum lustrat splendoribus axem,
Sic fugat infidas radianti lumine fraudes, Comparatio.
Consilijs astus abigit, dissoluit & hamos,
Conciliat mentes, strictaque reuincit oliua.
Ergò Philippus adest cunctis medicina, salusque,
Concussæque, malis Patriæ, conatur acerbis Cõciliat animas.
Feruida sollicitus solamina ferre, labanti.
Tristia corda leuat, satagit sarcire ruinas.

Præbet

Præbet opem miseris, dictis solatur amicis,
Ac pietatis agit Diuum conamine Numen.
Nec Medicæ artis honos, nec priscæ gloria Gentis,
Nec grandes nugæ, nec vana negotia sæcli,
Inuicti, alliciunt præcordia magna Philippi.
Attamen vt subdat iussis pia colla paternis,
Hæc violenta sibi patitur monumenta referri,
Vndè frequens oritur vincti querimonia cordis
Detestata, Deo fastigia sponte litantis.
Vnica spes superest, interna resoluere lora,
Atque explere Sacræ Seruorum vota Coronæ,
Ruperit, vt, miseri dùm vincla vrgentia mundi,
Virginis obsequio stringatur veste sub atra.
Continuò sanctum voluit sub pectore Cœtum,
Nec putat, oblitura sacrum pia Numina votum.
Hactenus, inquit, ego patris mandata capesso,
Fac Pater alme, precor, pariter tua iussa facessam;
O Mons scala poli, Mons grate Deoque, Virisque.
Mons sacer, vndè meæ, spero solatia vitæ:
Lustra luporum aliàs, Turbæ iam Cælibis antra.
Excipies ne vnquam, duris vt crimina pœnis
Expiet, & tepidis cor mœrens abluat vndis?
Virginis alma viget, varia in regione, Caterua,
Gallica Gens multos alit, & Germana Sodales,
At vicinus ego, magis & distare videbor?
Quotidie cerno diuæ sacra limina Matris,
Atria iam teneo, valeo nec tecta subire.
Qui, mea tam strictè nectunt vestigia funes?
Hæc fatus, longis singultibus ilia pulsat,
Milleque sydereas, suspiria vibrat in auras;
Sordet imago oculis, qua fulgurat ipsa Penatum
Gloria; deliciæ, velut acris spina rigescunt.

Est in mundo quasi in statu violento sub Parentũ obedientia.

Toto corde anhelat Montem Sanatũ.

Tenuis [illegible] ac te [illegible] delees videatur à Deo.

 Qui

Qui defertur honos, iniuria turpis habetur.
Quæ medicina ægros celeri feruore iuuabat,
Eſt oneroſa ſibi, aſperioraque tædia præbet.
Hæc,quibus & tanto miſeros ardore fouebat,
Munia, ſollicitos pariunt in corde timores;
Perniciosa ſibi tentamina cunĉta videntur.
Quas, ſolet inſidias fraus mundi inuiſa parare,
Cogitat in prop rias, iam deſæuiſſe ruinas.
Quidquid agat, Superas metuit ne ſuſcitet iras.
Denique cunĉta ſuam putat oppugnare ſalutem.
Quàm leuis eſt virtus hominis, quam Numinis aura
Deſerit, arbitrijque ſui dimittit in vſum!
Talibus alta probat Iuuenem ſapientia ſpeĉtris,
Tollat vt ad ſanĉtæ ſublimia culmina vitæ,

Diuina gratia roboratur.

Dileĉtoque ſibi carcheſia fundit amara,
Glutinet vt Chriſtus grauiori peĉtora vinclo,
Quàm foret antè ſibi grata dulcedine iunĉtus,
Aut dùm extrà ſenſus ſuaui raperetur amore.
Guelphica iam rabies, & Ghibellina per vrbes
Auſonias latè ciuilia bella laceſſit.

Monetur ſeditionibus belli ciuilis.

Creſcit atrox odium, quantum ipſa ferocia creſcit,
Neĉtitur & lacero rixæ Florentia crine,
Diſſidijſque ſimul miſcentur ſacra prophanis.
Ardeſcit vitio vitium, vireſque miniſtrat,
Atque mali, gliſcunt permiſſa piacula, mole;
Ipſa Philippi animum, Patriæ titubantis imago
Percellit, mœſtoſque trahit de peĉtore queſtus.
Rara viget virtus, animos diſcordia totos
Poſſidet, alternoque ruit mens aĉta furore.
Quiſque ſuas ſequitur partes, aut pulſus amore,
Aut odio, crudelem hoſtis cudente ruinam.
Quàm flendus probitatis honos! heù iura labaſcunt,
Dùm

Dùm cuncta in capitis ſtant mobilitate proterui!
Namque bonis, & ſæpè ſuo ſpoliatur honore
Ciuis, & eripitur vel falſo vita relatu,
Inuidia lacerante ſuas, fratrumque medullas.
Nobilitas cæcum inſequitur ſine lege popellum.
Excutit ille iugum, primaſque affectat habenas,
Dùmque ſibi curant ſocios captare fideles,
Infidos inhiant ſæuis arcere triumphis.

Deſcriptio belli ciuilis.

Aeſtuat hinc bellum multo cum ſanguine flagrans,
Iam clypei vrgentur clypeis, vmbonibus vmbo,
Arma armis illiſa ſonant, crudelis vbique
Luctus, vbique metus, & plurima mortis imago.
Vulnera vulneribus, mortes quoque mortibus atræ
Miſcentur. Quis cladem vrbis? quis funera fando,
Explicet, & monumenta grauis ſine more, doloris?
Tota cruentatis Aenotria ſpargitur vndis,
Iam cumulata virùm fecere cadauera montes.
Duri Martis opus,ſata fœta, boumque labores,
More furens torrentis aquæ, vel turbinis atri
Diruit, & maleſuada fames iam quemque fatigat.
Iam fructum negat vſtus ager, negat aurea Cælum
Sydera, plena modò; vix tingunt flumina ripas
Primores, arent amnes, fonteſque dehiſcunt,
Muſcoſique lacus vndis torpentibus hærent.
Cernit paſtor oues crudeli ſtrage peremptas,
Cernit & exhauſtas vicino in monte capellas,
Audaceſque dolet tauros occumbere campo
Inter opus medium, glebiſque perire ſolutis.
Omnia lethiferæ diſcerpunt vndique rixæ.
Parcitur haud ſacris, furor ipſas ſæuit in aras.
Nulla fides, pietaſque cito reperitur in orbe.
Filius inſequitur patrem, pater agmine prolem
Fundit,

Fundit, & extinguit proprium cum sanguine nomen.
Intereà liuor deuicto ex hoste triumphans
Comparatio. Perfurit, atque in se exitialia tela retorquet:
Nam veluti fluctus, Cauri qui flamine motus,
Irruit immenso concussas impete puppes,
Et rotat, & lacerat, medioque sub æquore mergit,
In scopulos rapitur, spumisque resoluitur albis,
Nauibus infractis, torusque infringitur ipse.
Mille mouet neruos, liuoris turbine pulsus
Ciuis, vbi sortem satagit consternere ciuis.
Dùmque nocet Patriæ, propriæ nocet atque saluti,
Quoque lares ferijt, mucrone feritur eodem.
Exuuijs raptis nondum satiatus, anhelat
Et plures, tandemque suos bacchatur in armos;
Dùmque hostes vincit, telis & vincitur isdem.
Comparatio. Polypus haud aliter prædas absumere tentat,
Impatiens famis, escarum infinita vorago,
Dùm nullæ occurrunt, quibus impleat ilia, conchæ,
Brachia corrodit, patuloque absorbet hiatu.
Annè Philippus amans sincero corde quietem,
Discordes vrbis possit tot ferre tumultus?
Exitium Patriæ certamina crebra minantur;
Religionis honor bifidis discerpitur armis.
Candida virtutis species temeratur atroci
Criminis opprobrio, imperioque labascit Auerno.
Patriæ consternatio. Impia, Christiadum consternit pectora strages;
Horret in immensam peccata resurgere molem,
Sacrilegis vrnam putat ausibus esse refertam.
Irritus & stimulat cordis penetralia zelus,
Nullum posse malis mæret se ferre leuamen,
Ac dolet humanas superare pericula vires.
Dùmque ardet rabidos inter contentio ciues,
Terro-

Terroreſque truces belli furor incutit vrbi,
Ingemit ille, manus, oculoſque ad ſydera tollit,
Vt mala tanta iuuet ſupremum auertere Numen.
Namque ſuo lateri dirum haud accommodat enſem,
Nec violenta rotat crudelis fulmina Martis,
Fulget at in medica tranquilla modeſtia, ſorte,
Neuter vt inſiſtat, parti non deditus vlli,
Atque animos valeat medius placare furentes,
Diſſidijque pyras mœſtis extinguere guttis.
Publica ſæpè timet ſibi ne peccata tumultus
Damna ferant, temerentque ſuis non pectora culpis;
Vel quia qui peccant, generis ſibi iure ligantur,
Vel quia fortè nimis, diſcordes carpere noxas
Negligat; obſtruſas quamuis agnouerit aures,
Atque animos obſtare ſuis monitoribus acres,
Vel quia miſtus agens prauis cum ciuibus æuum,
Peccati metuat, ne peſtis corda veneno
Inficiat; trahit hinc triſtes è pectore luctus,
Horreſcitque pius fatui faſtidia ſæcli.
Suggerit hos mentis non inconſtantia, motus,
Sed Diuina parit cæleſtis luminis aura,
Inſidioſa hominum conſortia linquat, vt antra
Inter opaca, ſuæ queat indulgere ſaluti.

Orat enixe Deum pro pace.

Affligit ipſum ſæculi corruptio.

Ergo paulatim commercia vana Philippus
Aufugit, & ſtudio conuentus vitat inertes,
In laribus ſiſtit, longos ſtatuitque receſſus.
His, mundi illecebras armis debellat hiantes,
Succeſſus diuina facit ſolertia fauſtos:
Nam ſolum ſpectare domi aſſueuere Propinqui,
Talis & incautos induſtria ludit amicos,
Obſequioſa ſibi fieri dùm munera ceſſant;
Nec tamen aduertunt, abſentia ſopit amores.

Subducitur à commercijs hominum & ſiſtit in laribus.

Hìc

Hic animus stulta mundi leuitate fatiscens
Respirat, segni tandem languore solutus,
Comparatio. Et redit ad primam, quam perdidit antè quietem.
Tale suprema tulit solamen Virgo Philippo.
Vtque Aurora præit, Solemque, diemque reducit,
Punicea, tenebris ex aëre, luce fugatis;
Fracta Viri releuat dio tutamine corda
Virgo Parens, tristesque arcet splendore tenebras,
Lustratamque noua recreat dulcedine mentem.
Non modò Virgo leuat fessos spiramine sensus,
Excitat & vegetæ primos pietatis amores,
Virgo solatur ipsum & in corde primos excitat amores. Cuius & antè sacris flagrauit pectora flammis.
O quàm largifluo diffundit munera cornu!
Nectare quàm dulci præcordia proluit ima!
Hanc meditatur opem sapiens, gratesque rependit,
Grandia testatur iucundo gaudia vultu,
Cœloque eximijs insignia laudibus æquat:
Alloquitur Virginem. Ianua nonnè, inquit, Virgo es stellantis Olympi?
Tu fons lætitiæ, tu lenimenta dolorum,
Anchora firma spei, humanæ clypeusque salutis.
Tu Cœlos aperis, tu portas claudis Auerni.
Tu super astra sedes solio vicina Tonantis;
Cœno voluor ego, sæuamque exhalo mephitim;
Tu serto radias alto, stellisque corusco;
Torpeo ego cæcæ, picea caligine mentis,
Sed tu Virgo faue, quassumque leuamine fulci.
Excelsi Regina poli tùm vota rogantis
Audit, & incendit maiore cupidine pectus,
Religiosa sibi præbendi munera fidi
Virgo exaudit preces Philippi. Obsequij, nigra sacri sub veste Cuculli.
Pristina munificum patitur commercia Numen,
Dulcesque amplexus veteris renouantur amoris,
Turbi-

Turbidus inſontis mundus,qui fœdera pacis
Rumpere curarat, vacuas vaneſcit in auras,
Datque locum, propriam repetunt & Numina ſedem.
Perpetis vtque animus penetratur lumine Solis,
Intus amoris alunt ardentes viſcera tædas.
Libertatis honor, quem Chriſti Seruus anhelat,
Iam redit, atque graui exoneratur pondere, quo res
Obruta mundanæ iam dudum corda premebant.
Caſta laceſſiuit nuſquam ſic lumina mundus;
Non infanda tamen lædunt contagia mentem.
Iam ſuper aſtra videtur amor vectare Philippum.
Ambroſioque poli perfundere nectare pectus.
O Deus, ò quantò fælicius exigit æuum,
Qui te, inquit, ſolaque tui dulcedine gaudet,
Quàm qui per varios ambit faſtigia caſus!
Deſerar, areſcam, tepeant & pectora votis,
Meque ærumna, dolor, violentaque pœna fatiget;
Oſcula, dùm fueris mecum, hæc mihi blanda videntur.
Horreo dumtaxat fædi conſortia mundi,
Cuius inæquales fruſtrà connectere leges
Cum iuſſis contendo tuis,ſupreme poli Rex.
Odi peſtiferæ quoque dira piacula culpæ,
Quæ mihi terrificas aperit Phlegetontis abyſſos.
O vtinam potius pro te,Deus,arma tuliſſem,
Te ſuper intrepida melius ſpe vota locaſſem.
At licet explorem prætenſis obuia palmis,
Vix ſatis incæptos auſim producere curſus,
Dùm mihi non toto collucent ſydera cœlo,
Nullaque ſignato callem notat orbita ſulco.
Nunc volo, nunc nolo, nunc æſtuo, nunc langueſco.
Hactenus haud vllos fixit mihi ſemita fines,
Et nullo reperi ſtationem tramite firmam.

Aſpiratio Philippi.

Fluctuat in incertitudine vocationis.

Ergò ſuam exhauſtus, deperdit nauita mentem.
Tùm lacera indomitis dimittit Carbaſa ventis;
E ſoliſque ſuam Superis ſperare ſalutem
Diſcit, opemque rogat tacitis ſine murmure votis,
Vt valeat fauſto contingere littora curſu.
Aeſtuat incerta ſic noſter mente Benizus,
Diuerſique vrgent animos hinc indè tumultus.

Albauerda parens gemebunda voce reclamans,
Obijcit antiquæ generoſa inſignia Gentis,
Summoſque in Patria, quos inclyta carpſit honores.
Nunquid, ait, vili temeras Genus omne veterno?
Siccine tu ſolus tantæ propaginis hæres
In te vis clarum obſcurare ſuperſtite nomen?
Publica deficiunt, qui recto munera obire,
Solertiue queant moderamine fræna tenere.
Euaneſcit amor, iuris decreta negantur,
Nunc vltore ſilent viduatæ iudice leges,
Sola nigro regnat rabies animata veneno.
Et pietate vales, & Auorum luce coruſcas,
His gradibus ſellas Patriæ conſcende curules,
Vt geſtis exempla tuis ſecteris auita,
Atque viris, virtute nitens imitanda miniſtres.
An decet illuſtri iuuenem de ſemine cretum
More feræ agreſtis ſecretam ducere vitam?
Vel minus vrbanum penitus, vel corde puſillum
Gens inimica Patris, tota te prodet in vrbe;
Inſilietque Tuis, nullo fulcimine nixis.
Ad bona quiſque ruet, prædaſque inhiabit aduncis
Vnguibus, vt mundi, te nouerit eſſe fugacem.
Quis præbebit opem, ſolos dùm prædo Penates
Aggredietur atrox, ſæuis horrendus & armis,
Vt rapiat nummos, pretioſa monilia, torques,

Mater hortatur, vt fulciat ſenectutem.

 Quas

Quas & opes tanto Patres ſtruxere labore?
Iam ſi blanda placet pietas, impende Propinquis;
Labitur en ætas, fluidiſque ſeneſcimus annis.
Prima docet pietas natos curare parentes,
Hic ſi feruet amor, noſtræ ſuccurre ſenectæ,
Nec patiare trucis violari inſultibus hoſtis.
Talibus hortatur Natum perterrita, dictis
Mater. & atra malus cùm Dœmon ora reſoluens,
Internam fictis terebrat ſermonibus aurem.

Dœmon ipsũ aggreditur.

Et nemora ergò Philippe halas, & frigida Tempe
Atque tuæ renuis ditiſſima prædia Gentis?
Ah Iuuenis, Iuuenis, quò te vecordia flectit?
Eſt ne Benize labor, fructuſque, decuſque Tuorum?
Annè perennis opes glomerauit cura Parentum,
Vnicus vt ſpernas ſeruatas hactenus, hæres,
Raptorique velis vt triſtes linquere prædas?
Si cupis innocuos pœnis cruciare lacertos;
Heu! quot in vrbe malis, homines cæduntur acerbis!
Rebus in humanis haud rara occaſio flendi eſt.

Deſcriptio humanarum calamitatum.

Iam violenta lues omnes effuſa per oras,
Agricolis viduat campos, & ciuibus vrbes.
Nunc fera tempeſtas plenis ſpatiatur in agris,
Ac teneros vaſtat nimbis, & grandine fœtus;
Tùm furit implacata fames, & turpis egeſtas,
Præſentemque viris intentant omnia mortem;
Iam vigil vno ictu ſobolis rapit Atropos annos,
Fila ſpeique ſecat, vitæ dùm ſtamina rumpit.
Nec ſatiata nouas inhiat vectare rapinas,
Tollit & vxorem diuturno fœdere vinctam,
Ac probitate viro caram, ſemperque fidelem.
Mox ruit in fratrem, veterem vel mactat amicum.
Litigioſa modò diuexant iurgia mentem,

Dùm facit anguſtos tenuis fortuna penatès.
Quid memorem truculenta feri certamina belli?
Heù! quot damna ſolent, clades, cædeſque ciere!
Inſpice iam, vt toto ſæuit Mars impius orbe.
Semina parua vides, modicæque exordia pugnæ.
Detrimenta furent Latias maiora per vrbes;
Denique mille malis homines plectuntur vbique.
Iam fugis obſcæna tectum ferrugine mundum,
Atque habitare cupis ſecretas montis Eremos,
Scilicet vt paucis ſuſtentes corpus ariſtis,
Atque vlciſcaris violentis crimina loris;
His ne Benize modis cenſes te ferre laborem?
Crediderim voluiſſe tuæ indulgere quieti:
Nam magis atra dolis ſæcli tormenta laceſſunt,
Quàm quibus Athletæ ſpecubus cruciantur opacis.
Non, quas eligimus, pœnis adipiſcimur altos
Cœli apices, ſed ſacra Dei quas Numina ſpirant:
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem.
Eſt roſa ſplendidior, duris vallata rubetis;
Sic magis elucet virtus, durata labore.
Si vis ergò pati ſæuas pro crimine pœnas,
Sta mundo immotus, patienter vince dolores,
Tutior indè ſalus, meritiſque veheris ad aſtra.

Dæmone ſic fato, ingreditur Regina Voluptas, *Inuadit quoque voluptas.*
Bina ſub auguſta ſcintillant ſydera fronte,
Maieſtas, ſpecieſque graues inſpirat honores.
Gratia, mellifluuſque lepos, & lactea fulgent
Ora roſis, Syrios & amictus ſpargit odores.
Inſignis varia ſplendeſcit imagine palla,
Chryſolitis ſegmenta rubent, lapis aſperat Indus
Flammea, manſuroque rigent Adamante lacernæ,
Et textus multa ſinuatur Iaſpide limbus.

Dùm-

Dùmque itá luxuriat forma, rutilatque lapillis,
Talibus affatur ſtupefactum corda Benizum.
Blande fugis Puber, fugis heu! conſortia dulcis
Conuictus, fugis æternùm ſine mente videndi
Aſpectus placidos, & vultus aſtra venuſti?
Sperabam quandoque tuum potuiſſe mouere
Pectus, & antiquos tandem lenire rigores.
Menti nolo tuæ aduerſos opponere ſenſus,
Quærere nec rigidis contraria commoda votis,
At mihi crede, Philippe, trahit ſua quemque voluptas.
Qui regit ætherei rutilantia ſydera cæli,
Orbis & immenſam ſuſpendit pollice molem,
Humanaſque mouet per tot ſpectacula mentes,
Nonnè ſacro rerum, quas finxit, prurit amore,
Stare ſuis & ouat totum ſub legibus orbem?
Cognitio æterno placet æuiterna Parenti,
Gaudet & in Nato propriam ſpectare figuram,
Cùmque ab vtroque fluit, conſorti, Spiritus, aura,
Et Pater, & Proles iugi recreantur amore.
Gaudia quid referam, quibus & ſuper aſtra fruuntur
Aligerùm cœleſte Genus, Cœtuſque Beati?
Nonnè trabi affixus, qui crimina noſtra piauit,
Gaudia ſæpè ſuis exemplo ſuaſit Alumnis?
Delicias thalami nonnè & ſacrauit Ieſus?
Nonnè fuit Præſes, Numenque, Authorque Hymenæi?
Coniugij & ſtatuere toros Miracula prima?
Legibus ò ſacris cur ergò Benize reſiſtis?
An pudet inſonti cæleſtia templa micare
Progenie? patriaſque regi propagine ſedes?
Cur renuis, quod iura ſinunt ſine crimine poſci,
Implerique poteſt, mordente haud pectora verme?
Talia fundebat pellaci mente Voluptas.

Non agitur hic de obſcæna voluptate ſed de voluptate Chriſtiana ſeu coniugali: Vt ex ſequentibus ſatis patet.

Vt

Vt petitur validus terno aggreſſore Philippus,
Deficit haud animo, trifidis ſed fortior armis
Tela retorquet ouans firmæ conſtantia mentis,
Fata obſtant, placidaſque viri Deus obſtruit aures. *Ridet hoſtes.*
Debellat ſenſus, blanda de Carne triumphat;
Non lachrymæ, non vlla mouent ſuſpiria Matris.
Tœnarios ludit mendacis Dæmonis aſtus,
Atque Voluptatis ſecreta venena propulſat.
Iam mundum attriuit, iam cunctos depulit hoſtes,
Iam patrias legit, pro ſacris Aedibus ædes,
Ad ſedes ignorat iter, quod ducit amicas.
Quæ diſtant & ab vrbe magis, delubra reuiſit,
Cùmque petit lectos ſtudio pungente receſſus,
Cœloque addictus, terræ conſortia vitat,
Ferre Sui aſſueſcunt rigidæ tentamina vitæ, *Parentes aſſueſcunt & tolerant illius vitæ rationem.*
Paulatimque pij orbantur ſolamine Nati;
Nec ſimulante ſuum premit amplius indole pectus,
Prodit at aſſiduo, cùm durat membra labore,
Sermoque æthereus, quo vanos ſpernit honores,
Oſtendit longum ſe iam Vale dicere mundo:
Attamen ille ſuis ſenſus aperire Propinquis
Cunctatur, triſti cruciet ne viſcera luctu:
Neſcit enim, quæ iuſſa Dei ſuprema volutent.
Quòque magis ſubſtat diuinis nutibus ardor,
Purior efficitur, grauiorque exæſtuat ignis,
Maioremque Deo, Patriæque rependit amorem:
Namque grauant humeros Vrbis mala publica preſſos.

Labitur omne nefas ciuilis tempore belli.
Nunc Vrbs ſeditione fremit, leuiore ſuborta
Diſſidio, ſæuitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat. *Deteſtatur belli inteſtini mala.*
Nunc probus arguitur ſceleris, falſoque relatu

Plectitur immeritis, corrupto Iudice, pœnis.
Exulat innocuus modò ciuis, & errat in oris
Ignotis: Vrbem cædes nunc dira cruentat.
Dùm metuenda feras populo discrimina clades
Intentant, animos aut orta procella tumentes
Concutit, extemplò pendentis ab Arbore, Christi
Currit ad effigiem, plebique, sibique frementi
Lamento veniam, lachrymisque fluentibus orat.
Cùmque olim teritur prægrandi corda dolore,
Excruciatus ait, quænam, dulcissime Iesu,
Victima iam valeat nigra tot commissa piare,
Tu nisi, qui totum lauisti sanguine mundum?
Obruit en patrias scelus, & discordia, sedes,
Oppressusque gemit sub culpæ pondere vertex;
Sed miserere mei, fratrum solare labores,
Præcipitesque tua repara pietate ruinas.
Si vel morte tuas stratis pro ciuibus iras

Oratio Philippi ad Deum.

Demulcere queam, moriar, modò damna fugentur.
Si bonus vsque mihi, miseræ vis parcere vitæ,
Vt tibi, da, viuam dio tutamine fultus.
Erue me mundo, culpæ quem gurges inundat.
Abdita claustra peto, tutum vt virtutis asylum,
Ne videam Patriæ, exortis, incendia, rixis.
Horret in obscænis hominum mens degere turbis;
Hæc secreta, domi quam cæpi ducere, vita
Infesti redolet nimiùm commercia mundi.
Vsque adeò exhaustus, Iesu, languore gemiscam?
Vsque adeò vlla mihi tribuet dulcedo quietem?
Nunquid opus nimiùm tardas persoluere cæptum?
O Deus, ò Virgo, grauium panacea dolorum,
Si pia vota placent, cur longas ponere metas?
O facer Ordo meæ decus, & spes vna salutis

Cur

Cur modò non cupidis Seruum complecteris vlnis?
Curque nouum gremio differs ſociare ſodalem?
Quodlibet eueniat, diuis mea nutibus vltrò
Pectora ſubijcio, totis & inauguro fibris.
Talia fatus, init maius cum Numine fœdus;
Sentit & vberiora ſibi ſolamina ferri,
Sperat & hirſutum tandem geſtare cucullum.

FR. GERMANI SARDI
MASSILIENSIS
Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis, Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER V.

ARGVMENTVM.

Excit in ancipitem Phlegeton fera bella Benizũ.
Pubere pro sancto fautor decertat Olympus.
Effigies Christi ligni, pendentis in ara
Heroa adsciscit Sanari ad culmina montis.
Aduocat & Virgo auratis euecta quadrigis.

FLuctuat incerta mœstus dùm mẽte Benizus;
Ac decreta nequit Cœli penetrare suprema;
Seruorum varijs Ordo florescit in oris;
Pondus & omne ferés Molis Bonfilius Atlas
Insignes pietate Viros transmittit in Vrbes
Præpositos, sancto vt moderamine cuncta gubernent;
Amideumque legit summa virtute micantem,
Vt socium patrij Sanari dirigat Agmen.
Hic quandoque suos, lassata mente, labores,
Colloquioque volens hilarante remittere curas
Cum Socijs, animos tali sermone relaxat.
Ordinis & nostri primus Bonfilius Author,
Summus & alma tenens iam Præsul lora Manipli,
Rebus vt vrgetur Sanari ad culmina montis

Amideus vnus ex 7. fundatoribus Ordinis Seruorum narrat sodalibus somnium Bonfilij.

Perge-

Pergere, vt in ſacris fungatur munere Tectis,
Seriùs admonitus, parat ortu lucis abire.
Iamque diem clauſo, componit Veſper, Olympo;
Et ſimul inducunt obſcura crepuſcula noctem.
Ille graues, feſſo ſoluens è pectore curas
Decumbit dulci deuinctus lumina ſomno.
Omnia,quæ ſenſu verſauit vota diurno,
Deſidioſa quies nocturno tempore reddit.
Dùm ludunt ergò ſopitos ſomnia ſenſus,
Illius ad cautes ſe fingit abire receſſus;
Carpentique viam deformis ſurgit imago.
Monſtrum horrendũ, ingens gelida formidine mentē
Inuadit, roſeuſque color fugit ore repentè.

Bonfilio Ordinis Seruorum Generali in ſomnis Dæmon apparet, antequam petat ſanarium.

Flammiferæ torquet ſinuoſa volumina caudæ,
Igne micant oculi, tumidi ſtat in ore veneni
Spuma virens, atroque auras inceſtat hiatu.
Vox compreſſa diù Rectoris faucibus hæſit;
Aſt ille attonita terrore à mente repulſo,
Sed tu qui, fatur, quibus aut accedis ab oris?
Quòue tenes iter, & noſtram furare quietem?
Tunc monſtrum horriſonis implens vlulatibus auras,
Talibus innocuas tundit ſermonibus aures.
A Phlegetontæi miſſus penetralibus Orci
Semina diſſidij totum reſperſa per Orbem
Inieci, diuturna ſolo quæ bella ciebunt.

Loquitur Dæmon.

Regibus inceſſit magno diſcordia motu,
Auditurque tubæ mugire per aëra clangor.
Nempè furens animi medio in certamine Mauors
Cælatus ferro, triſteſque ex æthere Diræ
Horrendùm ſonuere. Ille aſper, & improbus ira
Dentibus infrendens,ſpumas agit ore cruentas,
Exciſurum vrbes minitans, opulentaque regna.

Oſtentat excidia quibus orbem affligit.

Cernis,vt Arnus aquis ſpumeſcat ſanguine tinctus?
Nonnè cruor campos, vrbeſque effuſus inundat?
Quæ rabies, quæ damna, neceſque, dolique, ruinæq;
Oppida ſæuitie non vaſtauere Latina?
Iamque relata tibi,Stygijs placuere colonis,
Ipſe Acherontis Herus præconia multa parabat;
Aſt vbi reſciuit quemdam ſuſcepta Philippum
Impugnare mea, vrgentique retexere cura,
Conciliare animos, ac fœdere iungere corda,
Iurgia, quæ ſeui, aduerſis explodere dictis,
Atque abolere, Dei, mea dogmata, dogmate ſummi,
Ilicet infremuit, totoque expalluit ore,
Aeſtibus excandens, oculis, ac naribus ignem
Euomit, irarumque omnes effundit habenas.
Quid mihi, ſerue piger, iactas, (tùm fatur ab ima
Sede rotante globos, & miſto ſulphure flammas)
Quid mihi commemoras duros fracti orbis agones?
Diſſidia, excidia, atque incendia dira, tua vi,
Solertique omnes ſtudio diffuſa per oras,
Tantorum cùm reſtet adhùc & cauſa, malorum
Euertens molem? ceſſa oſtentare coorta.
Cùm tumidas huius fauces eliſeris Hydræ,
Iure tibi plaudet Phlegeton, ducetque choreas.
Tunc ò magne, inquam, vaſti Dominator Auerni,
Sat noui, noſtræ quæ ſint ludibria Gentis.
Vt quid enim toti aduerſetur homunculus Orco?
Puber inexpertus, mollis, malè cautus, inermis,
Siccine Tartareum ludit, ridetque Tyrannum?
An tibi non ſubeat mens, me indulſiſſe labori?
Ipſum vt deijcerem,totis ſum viribus vſus.
Me ſtimulante, Parens ingenti oppreſſa dolore,
Aſperitate truces ſtuduit compeſcere pœnas
Prolis,

Queritur Dæmon, quod Philippus reconciliando animos deſtruat eius opera.

Princeps Acherontis exprobrat Serui pigritiam, & torporem.

Reſpondet Dæmon ſe nihil infectũ liquiſſe.

Prolis, & obſcuras, quas optat adire, latebras
Diſſuadere, ſuis ac fletibus ora madeſcens,
Obdurata modis haud vllis pectora flexit.
Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes.
Aggreſſa eſt Iuuenem blanditibus ipſa Voluptas,
Mollitie, ſpecieque, & maieſtate decora
Viribus intendit caſtum violare pudorem,
At fabricata ruit tentati machina cœpti.

Fatetur Dæmon ſe operam perdidiſſe in Philippo.

Ipſe ego vi fretus Stygia, nil linquere inauſum
Qui potui infœlix, qui memet in omnia verti,
Quique tot inſidijs ſtudui exturbare Coloſſum,
Tritoſque eximiæ virtutis claudere callem,
Vincor ab Infanti, dolus & vaneſcit in auras.
At perge, inquit Herus feruenti percitus ira,
Perge per Auſonios feſtinis paſſibus agros,
Fortiter aggredere, & prætenſum ſterne Coloſſum.
Arte noua pugna, eloquijs vel vince diſertis,
More Acherontæo vel ad ima immitte Barathri.

Princeps Orci remiſit in Italiam Dæmonem contra Philippum.

Intereà haud modicum fas eſt ſperare iuuamen,
Militis hìc acies multæ, celereſque Phalanges
Vndique proſiliunt, vt noſti, Orbemque pererrant.
Tuque redi victor, vel præbe colla gehennæ.
Hæc Erebi iubet acer Herus, Rectorque profundi.
Pauca mihi ſupereſt ſpes, ardua corda domandi;
Quòd ſi magna ſatis tandem mea Numina non ſunt,
Et Regum vires, totumque Acheronta mouebo.
Dixerat, & longo fertur per inane meatu,
Aëraque ingrato totum perfundit odore.

Dùmque paueſcit adhùc ſquallentis imagine mõſtri,
E Cœlo noua lux oculis effulget, & almam
Protinus addit opem; namque inter nubis opaca
Diſtinguit Iuuenem Bonfilius ora venuſtum

Aethe-

Angelus in somnis appa- ret Bonfilio.

Aethera præpetibus vacuum qui verberat alis,
Tela quibus vibrata præit, Boreaque furenti
Nubila per,leuibus citiùs volat humida pennis.
Fert picturatas auri subtegmine vestes,
Dulcè oculi rident, roseoque inducitur igni
Oris honor nitidi, dubiam & lanuginis vmbram
Cæsaries intonsa tegit, longùmque fluentes

Descriptio Angeli appa- rentis.

Lambunt colla comæ, perque aurea tempora serpunt,
Et suspensa leues stringunt vestigia nubes.
Quid trepidas, vicinus ait, mala nulla tremisce,
Macte animo Bonfili, altæ sum Nuncius Aulæ,
Qui propè sto summi solium regale Tonantis,
Præbeoque obsequium, gratisque obtempero iussis,
Ire procul,quocumque ferant mandata,paratus;

Aeterni Patris Verba ab Angelo rela- ta.

Ille malis hominum cœlo commotus ab alto,
Tu ne vides, inquit, rabies Rectoris Auerni
Quot rixis miserum iam pridem torqueat Orbem?
Quot cædes, quot damna ferat liuore nefandus?
Extinguet, me dante, pius fera bella Philippus.
Iam Bonfilium adito celer, Iuuenemque moneto
Suscipere in gremium,teneroque ligare Maniplo.
Ille sacro nostros reparabit Numine cultus,
Diraque Tænariæ sternet molimina Gentis.
Hæc Pater. & nutu discussit nubila mundi,
Concussitque polum. Mox captis ordine fatis,
Ore nihil contrà, pennas quin percitus omnes
Explico, & æthereas trano per inania sedes,
Instructus quæcumque mihi peragenda recursant,
Nuncio iure Viri summos illustris honores.
Fortè stupes,ad tanta hominem fastigia tolli?

Discursus de gratia per Angelum.

Gratia diua suos tutamine fulcit alumnos,
Quos velit,ad claræ vehit alta cacumina sortis,

Quid-

Quidquid & increuit vitijs, superante reuellit
Auxilio, durique domat penetralia cordis:
Nam sterilis Natura parens, opis indiga cœli
Claudicat, vt graditur Christi non fulta bacillo,
Debilitata malis, effæto languet amore,
Irrito & inuisos conatu sæuit in hostes.
Libertas hominem non quæuis tollit ad astra.
Est mala libertas, quæ vincula cudit Auerna.
Quò magis humana est diuis subiecta voluntas,
Nutibus, & vi maiore, & potiore potitur
Libertate, suæ fit certior vndè salutis.
Gratia, sed Christi cùm sacro pressa cruore est,
Eius & à dirè transfixo pectore manat,
Est Regina potens, animarum spesque, salusque,
Est fæcunda parens, qua quisque renascitur Adæ
Diuino, inque polo fit Christi frater, & hæres:
Namque homo mira gerit, dùm Gratia fulget amica,
Oblatamque acri repetit certamine palmam,
Huius ope, & virides debellat cuspide sensus,
Illecebras carnis solet & frænare rebellis,
Dæmonas humani depellit corporis arce,
Regeque deuicto totum consternit Auernum.
Eripit absorptas è mortis gurgite prædas,
Innumeras Stygijs animas educit ab vndis,
Lumina, quæ parca ex ortu Natura negarat,
Restituit cæcis, iubar & dat cernere Phœbi.
Aggreditur regni fulgentia tecta superni,
Cursuque in medio Titania plaustra moratur.
Obsidet ille thronos offensi Numinis altos,
Flebilibusque sonis diuinas temperat iras.
Surripit ex valida minitantia fulmina dextra,
Funiculisque precum omnipotentia brachia nodat.

Fultus gratia omnia potest homo.

Per

Varijs modis gratia allicit homines.

Per varios diuina modos ſua munera pandit
Gratia; namque homines nutu compellit adultos,
Pertrahit ad ſe ſe, dulcique allectat odore,

Gratia quid molitur in adultis.

Crimina defœcat, virtutes ſuadet honeſtas.
Cùmque in delicijs ſordentia membra volutant,
Et molles agitat mentes veſana libido;
Excitat à ſomno torpentes Gratia ſenſus,
Vndique nexilibus tendit ſua retia filis,
Vt poſitis ſacri laqueis inuoluat amoris.

Comparatio.

Qualis in vmbroſa latet arbore callidus auceps,
Subdola pennipedi meditatus vincula turbæ,
Linigeros abdit vicino gramine vallos,
In nitidoque ſolo diſpergit plurima grana,
Et circùm incluſas ærata crate volucres
Collocat, vt ſocias dulcis modulamine cantus
Alliciant, ſecumque trahant in retia prædas,
Hæ ſaltu, & cantu, leuis ille foramine buxi.
Hæ ſocias fallunt cauta non mente nocendi,
Decipit ille dolo, luſaſque indagine cingit.
Talis vbique ſuos venatrix Gratia caſſes
Tendit, & inſidians animis ambagine ſeptis.
Fœta ſolo ſpargit cæleſtis ſemina campi.
Cùmque tenet quoſdam regali compede vinctos,
Captorum exemplis alios in vincla vagantes
Attrahit, æthereis & oburit pectora flammis.
Tùm pudor incendit vires, reuocatque vigorem
Baptiſmi, maculas quondam qui terſerat atras,
Et ſatagunt finem vetitis imponere ludis,
Et lacrymis putres culparum immergere ſordes;
Quique lupi fuerant, mites vertuntur in agnos.
Ergò dùm frangunt horrendæ vincula mortis,
Perpetuæ excudunt diuina monilia vitæ.

Aſt

Aſt alios alio reddit moderamine Sanctos:
Namque æterna ſuis homines Sapientia fatis,
Decretiſque volens ſummis educere quoſdam
Damnata de mole reos ad cœlica regna;
Ducit ad optatam mira dulcedine finem.
Præcedunt ortus præſagia ſancta futuros,
Splendida ſigna vigent, miracula magna ſequuntur,
Singula fœlices portendunt omina cunas.
Hæc diuina fauent fœlici dona Philippo.
Prægnantis flamma exoritur de pectore matris,
Luce coruſcanti, toto quæ ſplendet in Orbe.
Ipſa vel æthereos infantia ſpirat odores.
Tota iuuentutis ſeries virtute refulget.
Et pietate micat, fraterno & flagrat amore.
Quæ totum iam bella diù ciuilia mundum
Dilacerant, inito tranquillæ fædere pacis
Compeſcet tandem, ſummaque quiete beabit.
Thaumaturgus erit per tot miracula rerum.
Gratia mira fluet facundo ex ore loquentis.
Malleus hæreſeon franget commenta nouarum.
Præſcia ſæpè dabit puris oracula dictis,
Longiùs & voluens Cælorum arcana recludet.
Libera Principibus tribuetur copia fandi,
Arbiter Orbis erit, Regumque interpres amicus,
Pectoribus inhians ſacra te conſulet æde,
Tu cura, nitidis exponere viſa loquelis,
Nec pigeat veſtros properantem immittere Cœtus.
Hic valet vnanimes armare in prælia Fratres,
Hic Seruitanæ reget alma inſignia Gentis,
Inclytaque augebit ſacræ monumenta Cateruæ.
Hæc vbi dicta, celer ſuperum redit Ales in axem,
Vdaque linquit iners Rectoris corpora ſomnus.

Alio modo gratia dirigit infantes.

Angelus prænunciauit Philippi geſta futura.

Visa tenet, reputatque animo, miratus, & hærens,
Edocet illa suos, & spectra stupenda renarrat.
Talibus vt caros modulis recreauit alumnos
Amideus, Doctor Parisina aduentat ab vrbe
Henricus, primam qui dudùm inuisere Sedem
Ordinis ardebat. Stupet asperitate Sodales,
Tàm dura, sub rupe dies abrumpere vitæ.
Olli se modicis responsant plectere pœnis,
Si vitæ peccata suæ, quæ Numinis iras
Succendunt, æqui trutinentur lance catini.
Tunc Albizus ait, Vir desine summe rigores,
Et grauitatis onus, quo noxia membra premuntur,
Desine mirari; grandes expende fauores,
Virgo quibus seruos iam iam dignatur alumnos.
Audisti, quæ mira suis Florentia pagis
Viderit, vt celebris Caphaggi pingitur Ara?
Hæc mirare magis, numenque verere Mariæ.
Quippè meas, Henricus ait, peruenit ad aures
Iconis rumor, variante sed oris hiatu.
Si vacat, ergò sacræ casus expone Tabellæ:
Illud enim pridem tenet intima pectora votum.
En ait Albizus, facio, sed parce loquenti,
Tanto namque Viro memorare insignia tanti
Muneris, vt video, paruis est viribus impar.
Attamen vt dabitur, referam cælestia dona.
Iam noua Progenies supremæ Virginis Aedem
Condiderat campis, vulgò Camartia, dicunt.
Eius & Effigies in sacro picta Sacello
Prisci corruerat muri collapsa ruinis.
Iamque nouo murum Patres attollere saxo
Nituntur, simul vt deleta nouetur Imago,
Quæ Mariæ velut antè fuit, sacrata iuuamen,

Henricus de quo in 3. libro Gandauensis.

Albizus de quo in 2. libro.

Conuentus diuæ annunciatæ Florentiæ extructus fuit extra muros in loco, qui appellabatur Caphaggium seù campo Marzo.

Narrat miraculum Diuæ Annunciatæ.

Per -

Perfugiumque ſuis ferat vſque per ardua, rebus.
Sed quia ſub titulo, Seruorum Virginis Ordo
Militat; Effigiem, Ancillæ ſub imagine pingunt,
Scilicet, & qualem totam ſe Numinis almi
Finxit ad arbitrium, magnique ancilla Parentis
Intonuit facilis, ſeruam ſe ſeque profeſſa eſt,
Cùm Gabriel Superùm antè alios fidiſſimus vnus
Aethera per vacuum ſupremi iuſſa Tonantis
Detulit, & Diuæ bibulas demiſit in aures.
Eligitur pictor, qui nomine Bartholomæus,
Vir ſumma pietate ardens, cuſtoſque pudoris,
Nullius & lucri ſolito ſtimulatus amore
Cæpit opus, tacitis purgatus pectora culpis,
Ac pretioſa ſacri depaſtus fercula Chriſti.

Hac ſuffultus ope, aſſidua tùm mente reuoluit
Pro modulo ſpecies, pectuſque idæa fatigat,
Omnis & artis opes ſtudio meditatur anhelo;
Vellet & arte noua mutas animare figuras.
Vi tota intendens animos non verſat inertes.
Iam miſſi pulchra Aligeri depinxerat ora,
Corporis & moles varios induta colores
Alitis accumulat gratum ſplendore decorem.
Illi cana micant rutilanti lilia dextra,
Luxuriat formæ grauitas, & dulcè ſeuori
Irradiant vultus, Maieſtatique verendæ
Mixtus adeſt cæleſtis honos: & numen in aſtris,
Quæ ſub fronte nitent, dios expoſcere cultus
Dixeris. Intortos blanda ceruice capillos
Aura quatit, luditque comis; ſuggeſtus in illis
Erigitur, quà multus onix, adamaſque ſuperbus
Ardet, & appoſitæ iaculantur lumina gemmæ.
Arte quoque effingit mira venerabile corpus

Deſcriptio Angeli.

Virginis; ora tamen, frontemque intacta relinquit.
Artis Apellææ mysteria cuncta volutans,
Optat in ore sacro diuinas indere formas,
Augustamque, humilemq; Dei obiectare Parentem,
Ancillamque Patris, qui vastum condidit Orbem;
Quidquid at ille manu format solerti, vt adumbret,
Et designet opus, votis non consonat altis.
Vel species nondum motus pietatis adæquant,
Vel superant dextræ totas indagine vires.

Pictor hærens non potest pingere vultum Virginis.

Cùmq; opus integrat, calidus de corpore sanguis
Inducto pallore, fugit, tremor occupat artus,
Omnis & artis honos vacuas vanescit in auras.
Tùm putat erratis talem meruisse repulsam,
Cæpta piùm precibus, commendat & omnia Patrum.
Olli corda probant, si fortè irrepserit error,
Conanturque Dei compescere fletibus iras,
Implorantque suæ iucunda iuuamina Matris,
Vt gratum pictoris opus mansueta secundet.
Hic informè tremens, titubansq; accedit ad orsum,
Nil effingit adhùc, graciles vt compleat ausus.

Breui somno corripitur pictor.

Pronus in dulcem soluuntur corpora somnum;
Ocyùs excutitur requie, stupor vrget inertem,
Dùm videt æthereo expressam pictore figuram.
Si color, ars & deest, sacra informentur vt ora,

Excitatus inuenit imaginem absolutam.

Deficiunt & verba mihi, nec paupere vena
Carmina nata queunt modulos spirare sat altos,
Virginis vt summæ celebrem faciemque, decusque,
Tantus honor vultus, tanta est reuerentia frontis.
Artificis mortalis opus nam vix manus vlla
Tale facit; superi credas hùc Numinis vnà
Artifices coijsse manus, mentemque magistram.
Aurea diuinæ fulgent hìc lilia fronti,

Sy-

Sydereæque oculis flammæ, geminoque sub arcu
Splendescunt ebeno cilia: ambrosiosque liquores
Dixeris ore sacro, æthereasque effundere voces,
Atque Deo, quem totum halat, persoluere grates:
Intereà attonitam pictoris gaudia mentem
Pertentant, Patresque alacri clamore cientur,
Accurruntque, stupent, miracula tanta verentur,
Fusique effigiem digno venerantur honore,
Diuinæque dicant Matri, cum corde Sacellum.
Nuncia fama volat totum respersa per Orbem,
Plebs glomerata venit, Florentia tota mouetur,
Sacra cateruatim ciues delubra frequentant.
Quis memorare queat diuæ portenta Tabellæ?
Exuperant mentes numerusque, modusque fideles;
Sat probat & pietas diuersæ maxima plebis,
Et Regum, magnis cumulantum limina donis.
Hæc dedit Albizus; studioque Henricus inardet,
Lumina depicto satiandi in Virginis ore.
Ergò petit celeri Florentia mœnia gressu,
Effigiemque videt, diffusam excedere famam.
Iungitur Aedituo sacrati fœdere templi,
Eius vt inspiciat ciuili insignia, cura.
Explicat hic placidè distinctas ordine gazas.
Munera, dona stupet, cyathos, paterasque, scyphosque,
Et mille ornamenta, quibus micat omne Sacellum.
His amor vnus erat, nullo delebilis æuo:
Binaque iam varijs flagrabant pectora signis.
Inter se multa alterno sermone ferebant,
Plurimaque alloquijs fallebant tempora sacris,
Talibus Henricus cùm fidum affatur amicum.
Nunc iuuenem quemdã iuuat & meminisse Philippũ,
Quem modicus docui Parisina Doctor in Vrbe;

Dic

Descriptio Diuæ annunciatæ.

Henricus petit Florentiã & iungitur amicitia cum Aedituo Virginis annunciatæ qui narrat ipsi vitam Philippi.

Dic, an ſpiret adhùc, & qua iam ſorte ſuperſtes,
Vel fato an propero vitales liquerit auras.

Aedituus erat director Philippi.

Aedituus tunc inquit, ego tibi plurima poſſim
Enarrare, quibus iam mens intenta ſtupeſcat;
Pubere de, quis enim valeat potiora referre,
Quàm, quem conſuluit rebus de pectoris imis?
Ille ego, qui tectas ſecretis auribus vltrò
Audiui culpas, ſoluique ligamina cordis.
Hic nigrante tegi noſtri velamine Cœtus
Percupit, & colere atrata ſub veſte dolores
Virginis atroces, verùm iam neſcio, tantæ
Cur tenuere moræ, dùm tantus adæſtuat ardor.
Nuper humi ſtratus coram morientis in ara

Philippus alloquitur Imaginem crucifixi & queritur

Stipitis Effigie, tales dabat ore loquelas.
Quò meus ô tandem, bone Ieſu, feruor abibit?
Si venit ille meo, reſtinguant Numina, nutu.
Si tuus vrit amor, cur ergò explere retardor,
Quæ dubiam tanto iactarunt tempore mentem?
Intùs, & extrà Orbem tua iam me dextera ſiſtit,
Suſpenſumque tenet; mundi nec faſtus ineſcat,
Auſim nec Cœtus Sanari culmen adire.
Quæ mea ſors tandem? quò Numina ſacra ciebunt?
Vel ſcintilla tui Seruitas fecit, amoris.
Heù! quantos fecit! torrent incendia pectus
Mille meum; cur ſegni ergò languore fatigor?
Heù! quam lenta meam differt dulcedo quietem!
Suffixum tepidis rorabat ſtipite riuis;
Dùm ſubitò patulas vox hæc erumpit ad aures.

Loquitur Crucifixus Philippo.

Carpe Philippe ſacram Sanari montis Eremum,
Iugis ibi monſtrabo vias, & culmina vitæ.
Pectora concutitur lacrymans, tùm Voce, Philippus.
Mens tamen erigitur, maiorique æſtuat igne;

Splen-


INRI
VADE AD MONTEM SENARIVM
P.° 86

Splendidiore graues miratur luce fauores,
Nec dubitare dabat summi Vox clara Magistri:
Intonuere sibi supremi hortamina Verbi,
Nec tamen indè vias Sanari tentat apertas.
Abdita quis capiat Diui mysteria nutus?
Intùs inardescit feruor, mirabile dictu!
Certa reuelati resonant oracula doni,
Vrit amoris edax diui præcordia fornax,
Multiplicique suos extrà, spiramine sensus
Tollitur, & nat adhùc nutanti pectus in vnda.
Macte Philippe animo, celeri venit hora volatu,
Qua dubia ancipitis vanescent nubila cordis,
Quæque frequente pijs aditu sacra limina votis
Ingrederis, miris lustrabunt intima Visis,
Tandemque incipies victrices carpere palmas.

Adhuc fluctuat in dubijs.

Virgo benigna faue; Superùm labor iste meretur
Numen, & à toto resonantia barbita Cælo.
Audit in æde Sacrum Caphaggi ritè Philippus,
Summaque diuinæ quærit solamina Matris.
Auribus vtque sonant castis, hæc verba: *Philippe*
Accede, & velox ad nostrum iungere currum.
Tota quasi sibi dicta forent, tùm mente volutat.
Mox ruit, atque extrà rapitur sua corpora pectus;
Inter & hirsutos gressum se figere sentes,
Ferreque per rigidas credit vestigia cautes.
In vasta horribiles errant regione colubri,
Sibila dant, saniemque vomunt, linguisque trisulcis
Ore micant, corpusque atro tumet omne veneno.
Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad vndas:
Turbidus hìc cæno, vastaque voragine gurges
Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Labitur in plenas horrendæ fæcis abyssos

Hæc verba leguntur in Missa die quinta in octaua Paschæ.

Ore

Ore tenus: fœdant mersos lutulenta lacertos,
Illisque erepto peiores fata minantur
Peiora; Ille videt sortem irreparabilis horæ,
Obijciturque infaustæ meta nouissima vitæ.

Rogat Deum vt eruat à tantis periculis;

Tunc implorat opem cælestis Patris, & infit.
Erue submersum squallente voragine seruum,
Erue, summe Deus, luteis quibus obruor vndis;
Sola valet promptum Omnipotentis ferre iuuamen
Dextera, deque meam, te solo spero salutem.
Dixerat, & subitò repetuntur verba, *Philippe*,
Accede, & velox ad nostrum iungere currum.

Videt Currũ.

Tùm noua lux oculis fulget, quæ sydera pandit,
Exhibet, & miro dispostas ordine pompas,
Quas nullis humana potest expromere dictis
Lingua. Per ætherei sinuosa volumina campi
Cernit in ingenti mox Currum nube, superbus
Cui pretium dabat arte labor; temo aureus omnis,

Descriptio Currus aurei.

Ex auro, prægrande iugum, quod fulgida circùm
Gemmarum series, adamas, viridisque smaragdus,
Mixtaque Chrysolitis, virgata ornabat Iaspis;
Splendebat radiante volubilis orbita cursu,
Præcipitesque rotæ, radiorumque aureus ordo,
Frænaque, & affixis oculata capistra pyropis.
Hunc non quadrupedes Aethon, Pyroisque trahebant,
Nec velox, gemino qui seruit Cyllarus Astro,

Ouis, & Leo trahebãt Currum.

Sed Leo, Ouisque, sibi quamuis animalia moris
Pugnantis, vectant vno plaustra aurea nutu.
Magnanimus nitet ore Leo, cui pulchra superbit
Maiestas effusa iubis, rugitibus horror
Nullus adest, placatque feros clementia rictus.
Huic se iungit Ouis nullo compressa timore,
Cælestemque trahit concordia mira quadrigam.

Insidet


p.88

Insidet in Curru properante puerpera Virgo,
In solio velut alma micat Regina superbo.
Aurea nigrantem subnectit fibula vestem,
Præ manibusque tenet, quem iam porrexit amictum
Seruitis atrum; super ipsam cærula scena
Splendescit gemmis, varijsque intexta Berillis,
Quam gerit ætherei pennis Gens incola regni,
Sublimesque sacris implens concentibus auras
Magna per immensas celebrat præconia laudes.
Cypria fulget auis niueo depicta colore,
Reginæque thronos summæ circumuolat aureos,
Clara repercussæ reddens & lumina Phæbes,
Egregium, radios in vultum spargit acutos,
Qui rutila fingunt regalem luce coronam,
Virgineamque sacro cingunt diademate frontem.

Descriptio Virginis in Curru.

Columba.

Dulce Philippeas melos allicit agminis aures
Angelici, nolletque breues ibi ducere luces.
Mox blando cessante sono, vox intonat alta
Virginis, ad Currum per iam repetita vocantis
Verba Philippum, vltrò satagit qui plaustra subire.
Tùm sacras veniens ædes clausurus Alexis;
Sensibus abreptum excutit, abrumpitque quietem;
Namque dies medius rerum contraxerat vmbras,
Et Sol ex æquo meta distabat vtraque.
O Pater, ah! inquit, suspiria mæsta trahendo,
Non mea, non solitos carpebant corpora somnos,
Heù quanta ex imo rapitur mihi corde voluptas!
Iam tibi parco lubens, precor, & pia Numina parcant.
Hæc vbi dicta, silet, ruptas & corde querelas
Comprimit, inque suos pergit remeare Penates.

Alexis vnus ex ordinis patriarchis.

Cuncta minutatim solerti mente reuoluit
Visa, doletque citò æthereos abijsse sopores.

Perdita viſarum deflet ſpectacula rerum,
Et piget exhibiti flammas vaneſcere amoris,
Torrebat queis Virgo modis præcordia miris:
Plùs didiciſſe vias ſed enim tùm nouit ad aſtra,
Tempore, quàm toto mutabilis, hauſerit, æui.
Iam nigra Seruorum, quæ pandit Virgo Trophæa,
Debuerant longos animi ſedare tumultus;

Queritur, quod viſio ſitim irritauerit ardentem.

Quin cruce Suffixi, in Sanaria Tecta cientis
Vox magis vrgebat, nec tutior indè quieuit;
Tot, mirum! ancipitem faciunt præſagia mentem.
Tùmque nouo Matrem conatur flectere queſtu,
Exponitque ſitim non extinxiſſe perennem,
Sed dubijs tepidas magis irritaſſe medullas.
Intereà fuſæ, ſubducto Sole, tenebræ
Inuoluere polum, atque hominum ſoluere labores,
Dùm pia percellit ſingultibus ilia multis,
Noctis & aſſociant blandam memorata quietem;

Apparet denuò Virgo, iubetque vt ad ſuos Seruos pergat inſtruendus.

Somnia ſub mediam veniunt conformia noctem,
Præteriti redeunt immania ſpectra diei,
Sopituſque videt nemoris loca triſtia vaſti,
Aurea plauſtra videt, ſubuectam Sede Mariam
Gemmifera, tali promentem pectora voce.
Perge Philippe meos ad Seruos Aede morantes,
Tanta vbi ſunt oculis heſterna prodita luce,
Arcani tibi namque ſtatim myſteria viſi
Sponte, reuelato reſerabunt omnia, ſenſu;
Singula ſollicitis complectere dogmata curis,
Prorſus vt obſequio Dominæ nectare Supremæ.
Hæc Virgo. Nequeo tanti penetrare futuros
Ominis euentus; tamen inſignita Philippi
Mens tot prodigijs, ac tanto lumine fuſa,
Se dare militiæ, portendit nomina noſtræ.

Dixerat Aedituus; cùm talia numine Doctor
Fatidico loquitur. Mihi ſpes iam magna refulget,
Hunc fore præclarum decus Ordinis, Vrbis, & Orbis.
Quanta Viri fuerit dudùm ſolertia mentis,
Et mores probitate pios, meritiſque micantes
Sat noui, ſtudijs cùm nempè vacaret honeſtis.
Inclyta, quæ celebris ceciniſti inſignia vitæ;
Quæ retuliſti etiam tanti miracula Viſi,
Omina ſunt hominis ſumma pietate futuri.

Henricus Gandauenſis Doctor ſolemnis.

FR. GERMANI SARDI

MASSILIENSIS

Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis, Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER VI.

ARGVMENTVM.

Mira Philippi aperit Bonfilius ordine visa.
Contegitur Cætus nigræ velamine vestis.
Ad tria Sanari stringit se vota Benizus.
Sanguineis lacerat lacrymãs sua mẽbra flagellis.
Dant cruor & lacrymæ viuos in vertice fontes.

Philippus adit Bonfiliũ iam instructũ ab Angelo.

ERgò Benizus alens grauiores pectore curas,
Exequitur venerãda sacræ præcepta Parẽtis,
Decretumq; petit Seruorum manè Sacellũ.
Mox Bonfilium adit, Cætus tùm fræna tenentem,
Exponitque almæ solemnia visa Mariæ,
Enixè rogitat, diuos exponere nutus,
Despondetque Viri sensus, flammante loquela,
Velle sequi, cùm tota suæ sit cura salutis
Demandata Patri, Summi Rectoris Olympi
Iussibus. Infusus cælesti lumine Præsul,
Protinus admiranda parat depromere spectra,
Stratumque excipiens clementi voce rogantem,
Quos retulisti, inquit, diuinæ Matris honores,
Callida non redolent Stygij commenta Acherontis,
Aethe-

Aetheriæ ſed vera canunt ſpiramina mentis.
Macte animo, claras ſpondent tibi Numina dotes,
Grandia, prægrandes explebunt vota fauores.
Iam mihi præbe aures, veras & percipe voces,
Monſtratas dùm pando tibi per Viſa figuras.
Quæ tibi difficiles pauido occurrere ſalebræ,
Gurgitibus, Scopulis, Vepribus, plenæque Venenis, *Bonfilius viſum explicat.*
Crede feri caſus, & aperta pericula mundi,
Nulla vbi certa ſalus, vbi frauſque, doluſque redundat,
Sepiturque plagis vbi ſemita quæque paratis,
Vt laqueant homines molli torpedine vinctos. *Currus aureus eſt Ordo Seruorum.*
Plauſtra oculis obiecta tuis, inſignia Cætus
Seruorum referunt, Sacris ſub Virginis armis
Sudantis; nam quiſque ſuos bonus Ordo Sodales
Sublatos animis cœleſtes vectat ad auras,
Vt iugi in Patria ſummo potiantur honore.
Aureus eſt Currus, varijs gemmiſque rigeſcit:
Namque amor Aethereus, virtutis origine primus
Diuinæ radius, virtutes attrahit omnes.
Plauſtra quaternarum feſtinant orbe rotarum. *Rotæ ſunt 4. virtutes Cardinales quas tria Religionis vota continent.*
Virtutum quia turba vehit ſine fine quaterna.
Iuſtitia accelerans figit veſtigia prima, *Iuſtitia.*
Dùm pia mens humili ſubdit ſe pectore, Regi
Cælicolùm, moremque gerit propenſa voluntas.
Tùm voluit matura citum Prudentia Currum, *Prudentia.*
Namque vbi vir frænat ſenſus, & corde ſagaci
Exæquat Senium, ſuperat virtutibus annos:
Stulta videtur ibi tumidi Sapientia mundi,
Et Crucis amplectens ardenti corde trophæa,
Inſanit mundo, ſapit & præclarus Olympo. *Fortitudo.*
Excitat infractum mentis vis maſcula Robur,
Dùm contemnit opes, & mores horret inertes,
Heroo-

Temperantia.

Herooque animo trucis obſtat viribus Orci.
Iam rota ſubſequitur Moderatio, quarta Quadrigæ.
Corporis hæc ſubigit vires, animique vigorem
Exſtimulat, ventri nimias dùm ſubtrahit eſcas,
Cordeque laſciuos dominante, libidinis æſtus
Comprimit, & nutus alienis ſubdit habenis.

Ouis, & Leo notant mutuã diuerſorum morum concordiam.

Verſat Ouis Currum miti coniuncta Leoni,
Conueniuntque ſibi, diras nec myſtica fauces
Horret Ouis, concors ſed vterque per æthera currit.
Scilicet aduerſi mulcentur in Ordine mores.
Roborat infirmum fortis, præbetque iuuamen,
Inſcius arguti luſtratur luce Scientis,
Vir patitur probus errantem, & reſipiſcere ſperat,
Mutuaque aſſiduis redduntur munia curis:

Columbæ radij explanantur.

Splendida perfundit radijs caput omne Columba,
Vt notet in niueo virtutis corde nitorem,
Simplicitaſque animæ nuda inſinuetur eburnæ;
Non furit illa, modis ſed temperat vtile dulci:
Demit amaritiem rebus, ſtudiumque virile
Mollit, & ambroſio reſpergit cuncta lepore.

Apparet Virgo lugubri veſte induta, quam offert, & porrigit.

Occupat auratum Cæli Regina tribunal.
Dùm tamen auguſti radiat fulgore triumphi,
Regia non marcet lugubri Syrmate pompa:
Nam cooperta nigræ renitet velamine veſtis,
Præ manibuſque atras, & olentes funera pallas
Geſtat, vt æternos ex Prolis morte dolores
Indicet atroci, quos imo corde recondit.
Non ſecus ac rubræ, quas Chriſtus Stipite, plagæ;
Pertulit, æthereis & nunc oſtentat amicis,
Non decus imminuunt, clarum ſed nomen adaugent,
Sic & mœſta grauis defert inſignia luctus
Virgo Parens, vt nempè ſui ſit gloria Nati

Con-

Consimilis, fusoque sacro sit mixta cruore;
Dat Suprema tibi nigrantia pallia Virgo,
Vt cum veste feras mœrores Matris acerbos,
Vnà & perpetui potiaris præmia regni.
Ipsa Maria vocat; patulas vox perculit aures.
Intonuere tibi crebris oracula dictis;
Quid iungi Seruis diuæ cunctare Parentis?
Horribiles mundi species patefecit iniqui,
Vt maculosa nigri fugias, velut ora colubri.
Num te certa latent maternæ pignora flammæ?
Ancipiti cur mente labas, quid corde fatiscis,
Dùm te diua cient vrgenti Numina voce?

Hæc vbi dicta; Philippi animus diducit habenas
Lætitiæ, sanctoque Viri dat brachia collo,
Dùm videt ore suam claro pendere salutem.
Qualis concutitur violentis nauta procellis,
Aeolus in diras dùm pellit turbine Syrtes,
Naufragiumque rati propiùs minitatur hianti;
Cùm primùm flatus Austri posuere sonantes,
Aequoraque vndiuomos complanant alta tumores; Comparatio.
Gaudet, & immanes delent obliuia casus;
Sic ille ancipitis iactatus murmure venti,
Crebra per, horrisonos expertus somnia fluctus;
Naufragium mundi sinuoso in vortice triste
Pertimet; vtque cadunt dubitantis flamina mentis,
Incertique fremens sedatur pectoris æstus,
Doctorisque pia vanescunt nubila voce,
Dulcia decerpit festiuo gaudia vultu,
Ex imoque trahit tales de corde loquelas.

Iam domus interior mentis, titubante tumultu
Amplius haud quatitur; dulci cessere quieti
Importuna locum Stygijs phantasmata ludis.

Philippus exprimit Gaudium Bonfilio & Patribus.

Quos

Quos mihi depromunt, dios, oracula, nutus
Clara, patent, altaque manent in mente reposti,
Militiæ nomen do ſacræ, vltròque Coronam
Spondeo, nec patrios exin remeabo Penates.
Hæc mihi tecta, lares, Sedes hæc vna manebit.
Vnus me ſacro genuit Bonfilius ore,
Hic mihi ſemper erit clarus Doctorque, Satorque.
Hic Pater innocua nati pietate colendus.
Sola mihi Virgo caræ dabit oſcula Matris,
Hæc ſugenda vigil præbebit & vbera nutrix,
Atque Magiſtra meos effinget ſedula mores.
Vos ò, me, Patres, fieri date, quæſo, Sodalem,
Vt breue vos inter communi ſorte per æuum
De culpis valeam meritas exſoluere pœnas.
Religioſus ero ſeruus, viliſque miniſter:
Namque Sodalitij tanto, ſi digner honore,
Officia, & commiſſa mihi vel munia quæque
Sponte geram Cœtus, grauioraque lætus obibo.
Seruulus haud aliter vobis ſociabor alendus.

Petit habitum & vult eſſe frater conuerſus.

Obſtupuere Patres humiles in pectora ſenſus
Nobiliora viri ſtabili tàm robore fuſos.
Quidquid at obijciant, vt puberis ilia pulſent,
Excitat & maiora imis incendia fibris;
Cùmque putant animos grauibus percellere dictis,
Ipſe mouet precibus, lacrymiſque inflectit obortis;
Nec ſuffragantes renuunt optata petenti.
Iamque paratus erat Tunicæ nigrantis amictus,
Sordidius, lacerumque magis cùm tegmen anhelat,
Deprimat vt motus clara de Stirpe tumentes,
Atque pares faciat vili cum ſorte cucullos.
Exuit implicitum tenebris qui triſtibus Orbem,
Exuit & ſubitò fulgentes murice veſtes.

Laceram & viliorem induit tunicam.

Publi-

Publica ſollicitos monuit cita Fama Parentes,
Accelerantque gradum, ſacramque feruntur in ædem;
Mox ille accedit nigræ ſub tegmine Pallæ.
Siccine nos, fantur, ſic deſeris almè, dolentes,
Nate, ſeneſcentum matura vt labitur ætas?
Vberiuſque parant mœſtas glomerare querelas,
Rauca ſed occludunt effuſi guttura fletus.

Parentes ingreſſum in ordinem improperant.

At decreta, Philippus ait, quis Numinis alta
Immutare queat, diuiſque reſiſtere iuſſis?
Triticea accepit bis denas area meſſes,
Cùm mea mens patrijs reſpondit conſona votis,
Sic viſum eſt Superis: nunc ipſis iura, viceſque,
Nullas addo moras, æqua ſed ſponte rependo;
Cur video veſtros tanto mœrore lacertos
Conſterni, dùm iuſta Dei præcepta faceſſo?
Vix ortum me nonnè Deo pia vota dedere?
Cedite, iamque animo promiſſa explete lubenti;
Namque hùc præcipitis veni non impete mentis,
Veni at conſulto diuturnis Numine votis.
Hic, qui Rector adeſt, fuit & mihi Doctor alumno,
Hunc mihi delegit Virgo ſuprema Magiſtrum,
Præbuit, & diuina meæ ſpiramina vitæ.
Hic Pater, Hæc Genitrix, rerum mutatur & Ordo,
Iam primæ inuertit victrix inſignia ſortis
Gratia, & ætherei tollit vexilla trophæi.
Iam Natura nouis, ſua cedat iura Patronis.
Irruit his dictis, lacrymantum in colla Parentum,
Mox triſtes medio aſpectus ſermone relinquit,
Et procul ex oculis, Tectis ſe condit in imis.

Reſpondet Philippus.

Incipit hìc viſum Bonfilius ordine Currum,
Et quæcumque citi depromere geſta receſſus,
Solaturque animos; cæpta & libamina ſuadet,

Bonfilius parentes conſolatur.

Tùm ſine vel minimis perſoluere ſponte ſuſurrris.
Præſul at Ardingus, teneræ Doctorque iuuentæ,
Nobiliumque chori ſummam teſtantur amici
Lætitiam, tolluntque graues ad ſydera plauſus:
Nam fore confidunt, vt ſæui fulmina Martis,
Quo premitur Mundus, placato Numine, trudat.
Tùm nouus Athleta abiecti molimina ſerui
Carpit, & optata in vili ſolatia cura
Ebibit, occultatque altæ faſtigia mentis;
Humilitas Philippi.
Ne ſocij, tanta perſtricti pectora luce
Virtutum obtutu, nimio venerentur honore.
Nec ſibi vult parci, claræ ex propagine Gentis.
Nonnè Philippus ego, fatur, cur ergò Benizus?
Non priſca attollunt ſecretas nomina ſortes,
Sed præclara vias virtus ad ſydera pandit.
Hæc ait, vt rumpat blandæ modulamina laudis.
Mollis odoratis viret hortus in ædibus, herbis;
Philippus colit hortum.
Excolit ipſe manu, curuo tellure, ligone
Effoſſa; aſſiduis fœtant pomaria curis;
Ille vireta quaſi longa verſauerit arte,
Dùm fluit à toto pretioſus corpore ſudor,
Mirantes recreat lepido ſermone Sodales.
Hortus, egoque breuis momentum temporis vnum
Otia non equidem ſinimus per inertia labi.
Intyba, lactucas, porros, ſpinachia, caules,
Ipſe Deus fecit; vepres, aconita, cicutæ,
Ex opera fluxere mea, non Numinis vlla;
Quidquid enim tangit Peccator, ſorde malum fit.
Quot meus heù animus funeſtis pullulat herbis!
Fortè vel vna poteſt plures temerare ſalubres.
Media nocte ſurgit vt incæpta ſodalium munia perficiat.
Sic tegit innumeras humilis ſolertia dotes.
Sed non ſola tenet mollis cultura vireti.

Inde

Indè vbi prima quies medio iam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnos, è stramine surgit,
Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, Consortum pensa relicta,
Atque infecta, manu officiosa perficit vltrò,
Nil actum credens, dùm quid superesset agendum.
At quò abiere, Philippe, preces, quas antè per auras
Aethereas, veluti flammantia pila vibraras?
Feruet adhùc zelus, tempusque, modumque rogandi
Sors noua mutauit, sed non extinxit amorem;
Continuos precibus solertia sancta labores
Miscet, vtrumque gerens æquali temperat vsu.
Nec labor innocuæ rumpit commercia mentis,
Vota nec abiectas rapiunt flagrantia curas.
Est quicumque labor facilis, votisque secundus;
Displicet vna sibi de gestis gloria rebus;
Dùm minimus datur expleto pro munere plausus,
Cogitat inflictas occulta ob crimina pænas,
Frangat vt inflatas Diuina potentia fibras.
Ille pares inter, cùm munera multa recursant,
Singula solerti curat moderamine facta,
In Comitum, non verò suos vertantur honores.

Successus operum in honorem sodalium vertit.

Multa per argutos exercent scommata lusus,
Limina cùm totam lustrans aliena per vrbem
Paupere pro Cœtu, victum perquirit onustus;
A tergo nam sæpè sonos bibit aure iocosos,
Improperant quibus orta suas ludibria peras.
Nec tamen obloquitur duris contraria dictis.
Quique sibi fuerant diuturno fœdere iuncti,
Segnitiem obiectant. Animi quàm, fantur, inertis
Hic est, dùm viles agitans inglorius artes,
Desidiaque rigens, abiectos exigit annos!

Dùm mendicat in Ciuitate pro Fratribus, deridetur.

Nonnè decus ſpernit, gnauum dùm ferre laborem
Abnuit, & mauult arcta tabeſcere cella,
Plenis aut ſaccis pigros onerarier armos,
Quàm ſua magnanimis clareſcere nomina geſtis,
Et veneranda ſequi priſcæ veſtigia Gentis?

Impropreria, & obiurgationes.

Riſibus inquirunt, ex quonam veſtis honora
Vellere ſit texta, Hiſpano, Batauoque, vel Anglo?
Cum quibus ipſe, manus, acri certamine fuſus
Miſcuerit, Tyrij vt lacerentur tegmina panni?

Corpora ſiccantur curis, macieque pereſa,
Pallor & exanimis iam totos occupat artus,
Siuè per aſſiduos, quibus vrget membra, rigores;
Siuè per ardentes, quæ torrent viſcera flammas.
Nec miro gentis plauſu turgeſcit amantis,
Nec labat ingratis contemptus corda cauillis;
Mitis at aſpectus, ſuauiſque modeſtia vocis

Iam per annum in nouitiatu Florentiæ manſerat.

Influit attonitos in pectoris ima timores;
Qui lacerant tremulis contracta nare cachinnis;
Scommatibus parcunt, ſubitoque verentur honore,
Atque alijs meritas piat ipſe in corpore pœnas.
Annuus exactis binis ſex menſibus orbis
Fluxerat, vt laribus diſceſſit ſpontè paternis,

Tædia dabant frequẽtes Procerum aditus.

In Cætuque ſacro mirabile tranſigit æuum:
Multa parare piæ Magnatum tædia menti
Importuna ſolent longis commercia dictis.
Quiſque Viri cupit inſontes inuiſere vultus,
Diſcat vt ore ſuæ monituſque, viaſque ſalutis.
At breuibus quamuis ſoluat conſortia verbis,
Objiciatque nouas explendi munera cauſas,
Longa frequens aditus cumulat faſtidia: namque
Non longè à celebris diſtabant mœnibus Vrbis
Limina, proximitas faciebat & otia pigra.

Sana-

Sanari intereà taciturna cietur ad antra
Verticis, affuſus cæleſti Flaminis aura;
Vt Moyſes, alti petit Heros culmina montis,
Hæreat vt propiùs diuino Numinis ori,
Spiret, & ætherias fœliciùs Ordinis auras.
Illùc aduenìens tantò maiora Colonis
Angelicæ præbet, nouus hoſpes, gaudia Sedis,
Quantum fert Socijs, cùm migrat ab vrbe, dolorem.
Illìc Rectoris ſacro dans oſcula calci,
Iam Tyrocinium primis in Sedibus, inquit,
Ordinis exegi vilis ſub tegmine ſerui,
Scilicet vt terni ſacrata profeſſio voti
Cœtibus in veſtris ſub ſorte ſequatur eadem;
Inſpectanſque moras, aditusque ex Vrbe frequentes,
Religioſa quibus mens euaneſcit in auras,
Hoſque, mei miſerens, dat Rector adire receſſus,
Vt valeam ſparſos animi reuocare vigores.
Iam, Pater, obſequium, ſine, me præbere Coronæ;
Meque ſpecu totum conſumere tempus opaco,
Continuiſque meas lacrymis detergere culpas.
Erigit hæc fatum, Rector, ſpondetque fauores.

Petit Sanarium vt profeſſioně emittat.

Alloquitur Priorem Conuentus.

Incola quiſque ſacræ Sanari montis Eremi
Clauditur in cæcis alta ſub rupe cauernis,
Sæpiùs & vitam ſibi ſæuus ducit acerbam.
Non ibi menſa parata cibis, epuliſque ſuperbis
Excitat ingluuiem, mulcetve cupidine guttur;
Pauca famem ventris placant alimenta latrantis,
Proque mero lymphæ, pro pane legumina dantur.
Quæ condire ſolent meliores fercla ſapores
Herbida, ſunt gemitus, fuſæque in pabula guttæ;
Si latus, aut renes morbo tentantur acuto,
Diſſimulant, longoſque ſtudent perferre dolores.

Deſcribitur vita Eremitarum Sanarij.

In-

Inter ſe rarus pandit commercia ſermo,
Et magis effugiunt vanas cum plebe loquelas.
Ille videns arctæ obſtare haud communia vitæ
Munia, lætatur tempus reperiſſe, modumque
Inſeruire Deo, optatæque vacare ſaluti,
Iugiter & rigidis Cœleſtia pendere luſtris.

Deſcriptio Cryptæ in qua pœnitentiam agebat.

Cernitur in celſi prærupto vertice montis
Concaua Crypta, tribus prægrandibus inſita ſaxis,
Inſtar vbi cellæ finxit Natura receſſum,
Quem totum mediocris homo vel molis adimplet;
Ara ſub ingreſſu ſpectatur, parte ſiniſtra,
Scrupea, non docta quæ ſit ſpectabilis arte;
Artificiſque manu ſuper hanc, in rupe reſecta,
Crux viget in medio, celebri nec ficta labore,
Sic tamen apta loco, vt fictrix Natura putetur.
Hanc Athleta pius ſtricto ſub limite ſedem
Eligit, & teneros duris cruciatibus artus
Edomat, & flagro diuturnis verberat horis,
Diuinoſque ſtudet precibus placare furores.

Amideus Prior Sanarij venit Florentiam. & alloquitur Bonfilium Generalem.

Intereà preſſus rerum diſcrimine Rector
Amideus, longo poſt tempore, pergit ad Vrbem;
Ordinis vt Summi Paſtoris conſulat altum
Ingenium, promatque ſuæ monumenta Cateruæ.
Hic, licet agnorit de ſtricta, multa Philippi,
Quam degit, vita, Sanari in culmine cliui,
Perque aditus crebros, perque altæ nomina famæ,
Ilicèt Amideum vultu ſuſcepit ouanti,
Et radiante viri motus virtute celebris,
Et ſtudio Athletæ diſcendi geſta clientis.
Illius, ergò ſtatim mores ſcitatur honeſtos,
Et quæ ſit vitæ ſpecies, & norma ſupernæ.
Tùm ſic Amideus. Theſaurum in monte latentem,

O Præſul, iam noſtra tuo ſpiramine Sedes
Poſſidet. Hic ſacræ ſplendorque, decuſque Cohortis
Excitat ad rigidos exemplis pectora ritus,
Et reuocat priſcas, pietatis amore, latebras,
Firmior eſtque auro, ſolidoque adamante, columna.
Iam ter ſeptenos, vt noſti, venit ad annos,
Nec tamen vlla graues vrgent ob crimina morſus;
Ingenuaque poteſt, & fida mente fateri,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa;
Credit at ille nigro pollutos crimine mores.
Obtinet vt primùm noſtros in vertice nutus,
Ducendi obſcuram latitante foramine vitam,
Diſcutit errores vltrix mens conſcia facti,
Vel minimos iuſtis expendit lancibus actus,
Scrutaturque leues, & ſenſus mentis inanes.
Horrida dùm Peccans animis errata reuoluit
Culparum, reperit benefacta immiſta veneno,
Crimen & excuſat, quo ore incuſauit iniquum.
Hic errata, bonis ipſis effingit in actis,
Atque luit pœnas, nullus quas exigit error.
Aſſiduis ergò cæleſtia Numina votis,
Ne meminiſſe iuuet ſtolidæ delicta iuuentæ,
Orat, & ignotas ſtomacho neù vindice noxas
Plectere. Quæ valeant tantum inceſtare timorem
Flagitia? à primis inſontia pectora cunis
Seruauit, purique rogis increuit amoris;
Si qua lues animam temeret vel parua trementem,
Aſſolet extemplò cruciante piare labore.
Nunc alit ardentes alto ſub culmine tædas,
Ac tormenta ſtudet nobis celare cruenta;
Illa ſed argutis fruſtrà furatur ocellis.
Candida cùm ſulcat repetitis corpora flagris,

Per

Natus erat Philippus annos viginti vnum.

Eius vitam deſcribit Amideus.

Peccatores ſolent ſuas excuſare culpas: at non Ita Philippus.

Eius Auſteritas.

Per ſyluam denſi rorantur ſanguine vepres.
Radices, herbæque ſui ſunt fercula ventris,
Extinguitque ſitim gelido pura vnda liquore.
Veſcitur interdùm communi pane, vel eſca,
Scilicet vt ſolitam mándendi gramina normam
Contegat, & Fratrum conſuetos comprobet eſus.
Semper & anguſtam colit alta in Caute latebram,
Vt, quæ deſeruit ſeniorum Tecta Parentum,
Splendida contemnat, faſtuſque horreſcat auitos.

Aſpiratio Philippi ad Deum

Abdita ſed ſpatio cùm Crypta coërcet in arcto,
O Pater alme, inquit, quo poſſim limite claudi,
In te nempè Deo, cunctarum gurgite rerum,
Dùm moror immenſo? mihi nulla beatior extat
Libertas; hæc vna mihi, potiorque voluptas,
Vt capiam tecum tranquillæ pignora vitæ,
In tepidiſque, fruar blandis amplexibus, vlnis.
Excedunt hæc tanta ream ſolamina ſortem,
At ſic, Alme, tuum, ſic vis extollere Seruum.
Hæc fatur. Quæcumq; grauis vix pœna fatigat,
Suggerit, & varias ſolertia peruigil artes,
Vt cruciet teneros grauiore labore lacertos.

Eius rigores in ſeipſum.

Languida non vlli ſuccumbunt corpora ſomno,
Nocte, dieque preces fundit, lacrymæque per ora
Attenuata fluunt, crebro fodiuntque refluxu:
Senſibus vndè ſuis dùm ſubtrahit omne, quod ambit
Natura, vt faueat nimijs induſtria votis,
Candida nectareo demulcent corda liquore
Numina, dantque nouas aduerſus Dæmona vires.
Martyrem agit Monachus ſacratæ quiſque Coronæ,
Nudat, & aſſiduis proſcindit terga flagellis,
Atque ſuos varijs torquet cruciatibus artus;
Congerit in ſe omnes Sociorum aſt ille rigores,

Et

Et fieri ſatagit peccantis victima mundi:
Quarta redit duris ardens meſſoribus Aeſtas,
Cùm latet in fouea, hirſutis voluitque rubetis
Corpora, nec ſæuis piget vſquè laceſſere pugnis.
Dixeris auditis in pectora queſtibus, ipſum
Mille per incautam errores fœdaſſe iuuentam;
Atque modis veniam nullis ſperare ſupernam.
Sed tandem rogat Aſtra, nouis portendere Signis,
Atque notare, ſuos iras placaſſe labores.
Sic trepidare ſolent animæ, quæ ſumma verentur
Numina, vel mentis minimis offendere culpis.
Huius vita fuit donorum meſſis opima,
Alterniſque ſtrues monumentis vndique fulgens;
Nec tamen hinc tumet; abiecta ſed mente triumphat,
Et petit, an lacrymis veniam mereatur amaris.
Viribus at tanti quis non molleſceret æſtus?
Durities, quæ firma pijs obſiſteret armis?
Iam dolor extremus deiecit corde Philippum;
Mox Diuinus amor deiectum tollit Amicum;
Nam reſilire videt, ſterili ſub culmine fontem,
Intima pacificis qui lambit limina guttis:
Impete non manat de ſaxo vrgentibus vndis,
Guttatim de rupe cadit, velut ora rigantes
Plorantis lacrymæ, vt flere, aut ſudare cauernam
Aſpicias. Guttas ex omni parte fluentes
Conchula parua capit, ſubigit, ſpumamque triumphat
Circùm indignantem nequidquam: plena nec vndas
Incluſas vnquam anguſtis effundit ab oris.
Siquandò placido exhauritur concha liquore,
Non tardat ſuetis impleri margine lymphis,
Quam tamen haud ſuperant. Fons ingerit ille ſtuporē;
Nam locus eſt ſterilis natura, celſa nec vſquam

Manſit quatuor annis in monte Sanario.

Petit ſignum à Deo quo ſibi conſtet illum acceptaſſe ſuam pœnitentiam.

Deus exaudit preces.

Deſcriptio fontis in ſpelunca.

Fōs guttatim fluens videtur exprimere lacrymas, quas Philippus in crypta fudit.

Vel minimi erupere per illa cacumina fontes,
Nec ſperant vlli, fluxuros indè, coloni.
Nunc expende modum, quo mens Diuina tuetur,
Solaturque animos, fido qui corde colunt ſe.
Crede, quaſi dicat, mihi crede, Philippe, frequentes
Has lacrymas viuo ſcatuiſſe ex pumice Chriſto.
Ex oculis fluxere, genas, me dante, per ambas;
Sed refluunt ex caute modò, me dante per antrum;
Vt nuſquam humanæ ſubeant obliuia menti.
Vtque aperit tibi petra ſinus, laticemque refundit;
Sic diuina mei reſerantur viſcera amoris,
Rore tuique rigant ſitientes pectoris æſtus.
Obſtupet Ille pij miracula Numinis alta;
Et gelidis tepidas immiſcet fontibus vndas.

Virtus Philippi hoc in fōte eliciendo ſuperat omniū Regum vires.

Iam Dux, iam Princeps, omnis Moderator & orbis
Immenſos auri numeros impendat, & omnis
Artificum populus doctas exerceat artes,
Haud vnam poterit manus, aut induſtria guttam
His reperire locis; aperit ſed ſaxa Philippus
Non vi, non auro, non raſtro, vncoue bidente,
Sed lacrymis, humili ſed mente fluenta recludit.
Sic Cœlum, ſic Aſtra premit, ſic culmina ſcindit,

Fons ille perenniter fluens maius eſt miraculū quā reſurrectio mortuorum & cæcorum illuminatio.

Vena vt diſſiliat, nullum ſiccanda per æuum.
Fauſtior eſt lacrymis virtus, & fortior auro.
At ſuperant, quæcumque geri miracula poſſint,
Inclyta continuò fontis portenta fluentis.
Si cœcos virtus luſtraſſet luminis orbes,
Si vel ad elapſam reuocaſſet corpora lucem,
Illa breues vulgi tranſiſſent geſta per aures;
Namque vident oculi, ſed facta, obliuio delet.
Publica iam mundo dat fons oſtenta perennis,
Conſpicuique ſtupenda nouat monimenta Philippi.

O quo-

O quoties rubor ora notat, cùm garrula fama
Conuolat, & festos geminant præconia plausus!
Inuitant exire locis tàm nomina notis,
Atque alios (tibi si visum) migrare Penates.
Sic ait Amideus; Bonfilius ilicet infit.
Non stupeo, quæ magna sacer, quæ mira Philippus
Egerit in summo Sanari vertice montis,
Sunt leuiora piæ namque hæc exordia vitæ,
Splendidiora dabunt celebres portenta labores.
Omina, visa modis sibi succedentia miris,
Maxima nobilibus spondent insignia factis.
Expedit, vt mundo præclaræ munera mentis
Occulat, at diuos decet haud celare fauores,
Cùm retegant sanctos cœlesti tramite cultus.
Mens fuit, ò quoties! nostri fastigia Cœtus
Ferre reluctantem penitùs vel ad alta, nec ausus!
Iam pudet obscura tantas caligine dotes
Condere; quæ latet, at tandem laterna nitescet.
Hæc cecinit rerum sapiens prænuncia Rector
Arcana: euentus & singula dicta probarunt.
Hactenùs insignes vitare Philippus honores
Instituit, vilique dies finire cucullo.
Mens diuina tamen, rerum quæ fata, vicesque
Et regit, & miro ad supremos ordine nutus
Dirigit, abiecti disponit corda Philippi,
Inflectitque animos, non alta ad munia pronos.
Vrbe, cucullatæ, Senarum, fræna Iuuentæ
Vir moderabatur Iacobus, acumine mentis,
Doctrina, pietate vigens, virtute coruscans,
Seruorum eligitur dùm Tertius ordine Præsul.
Ille Philippeos, longinquo tempore mores
Instructus, Tyrocinij iuuenilis Alumnum

Fama sanctitatis ex illo fonte vulgata Philippus cupit è monte Sanario discedere.

Bõfilius prædicit maiora Philippi miracula.

Iacobus erat Magister Nouitiorum Cōuentus Senēsis Dum creatur Ordinis Seruorū Gene.

ralis mox Philippum eligit Rectorem in illo cætu Nouitiorum.

Sufficit, & Senas dulci mox euocat antro.
Tunc Athleta noua aduertens ob munera, fortis
Immutanda fore, & famulatus cæpta neganda,
Maioresque apices teneris instare lacertis,
Subijcitur iussis Diuùmque, Virùmque Supernis;
Quique hominum malit, sordens vt planta terat se,
Cogitur imbelli iuga ponere blanda Iuuentæ;
Quid tùm si renuat? lumen se lumine prodit,
Dùm studet ætherios frustrà occultare fauores.
Non humiles flectunt Rectorum corda repulsæ,
Sed sperant, magnos magno de flumine riuos
Emanare, & aquis tingi virtutis Ephebos.

Qua die abire parat, Senas vt conuolet, extrà
Speluncam stillare videns sine murmure fontem,
Instruor, inquit, aquis, modò sponte facessere iussa:

Optat Philippus vt fons desinat fluere, vt eius fama extinguatur.

Sto celer obsequio, sed fontem arescere malim.
O Deus! ò vtinam, me abeunte, abeatque fluentum,
Nec Iuga mobilibus respergat proxima lymphis!
Nonnè oculis satis est, latices resilire perennes?
Vt quid vtrumque datur, si vel tibi sufficit vnum?
Non doleo, quòd vena fluat, quòd & irriget arua:
Sed pudet, illa meos nimiùm iactarit honores.
Iam mihi cùm Bonitas sub rupe pepercerit alma;
In nulla, permitte, meas frangi vrbe medullas
Sorde, sed innocuos tuear sine crimine sensus;
Sola tibi, quæ iusta placent, complere, studebo;
Quin decus omne puto, modicas quas persero pœnas,
Non equidem, puras fuerim quas passus in antro,
Quasque pia, acceptas, vt opima litamina, mente;
Sed quæ turgentem fugit, constantia, mundum,
Me tenet, vt linquam taciturnæ culmina cautis.
Fac Deus, vt summo deinceps accingar amore.

Namque

Namque vices Tyronis ago virtutis in artè,
Plusquàm fortè, meæ; quos tradit, sedula, curæ
Mens Rectoris; inest sed in imo pectore nutus,
Deuehere ad summi Iuuenes fastigia cultus.
Iam Florentinas succedit anhelus in Arces,
Exhilaratque animos sacri præsentia Cœtus;
Cùm iubet ad Patrios Bonfilius ire Penates:
Non visosque pia reuereri mente Parentes,
Ex quo Sanari perrexit in ardua Cliui;
Solaturque suis tanta dulcedine dictis,
Soluat vt implacidis mærentia pectora curis,
Alternosque rigent lacrymoso flumine vultus,
Lætitia inueniente suos in corda meatus.
Efficiunt animos syluestria lustra feroces,
Quique diù vitam in specubus perducit acerbam,
Nec visu facilis, nec dictu affabilis vlli est.
Huic magis effingunt frontem spelæa serenam,
Mitior & remeat sacra de montis Eremo.
Dant hilares iucunda Dei commercia mentes:

Philippus dū aduentat Florentiam iussu Bonfilij inuisit Parentes.

FR. GERMANI SARDI

MASSILIENSIS

Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis,
Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER VII.

ARGVMENTVM.

Tyronum Senis moderator in Vrbe Philippus
Eligitur. Tandem patet alta ſcientia. Leges
Turma dat teneræ. Ritus Altaris ad almos
Tollitur. In Sacris celebrant pæana Tonantis
Aligeri. Hortantur Patres ad culmina Catus.

Philippus ſūmis omnium lætitia Senis excipitur.

DVmq; Philippus abit, Senaſq; aduētat hiātes,
Virtutis teneræ Sobolis recturus habenas;
Quis referat, quātis à Cœtu plauſibus omni
Excipiatur? vbique patent inſignia cordis
Plaudentis; quiſque immenſos ad ſydera mores
Tollit, & impatiens amplexus ambit amicos.
Ille repentino ſuffunditur ora pudore,
Reſpuit & ſegetes ſub pectore laudis opimas.

Victor Comes erat Philippi Dùm Senas pergeret.

Intereà Victor, claris venerabilis orſis,
Senenſis qui prima dedit fundamina Tecti,
Quique per ingenuas mores erexerat, artes,
Ad Florentinas, Rectoris iuſſibus, ædes
Mittitur, vt magnis incumbat in Ordine rebus;
Impendatque graues operoſa induſtria vires.

Hic,

Hic, vbi Seruitana pedes ſub limina fixit,
Et Præſes, cunctique, nouus, ſcitantur, Ephebûm
Rector an eximio fungatur munere, quamque
Artem in formandis, normamque infundat alumnis?
Aſt tùm Victor ait; petitis monimenta doceri,
Omnia mellifluæ ſuperant quæ murmura linguæ,
Quæ tamen expertus, dictis effabor apertis.
Iure ſodalitij greſſum comitabar honeſtum,
Expleturus onus ſacræ dùm nempè Iuuentæ,
Senenſes peteret, mandato Præſulis, arces.
Teutonica de Gente, duo occurrere Sodales
Ordinis, ardentem faculam qui fauce ferentem
Gentili de more Canem, pro ſtemmate prodit.
Diuinæ hi mira clarentes arte Palæſtræ,
Seſe illi accingunt, læta donantque ſalute,
Atque ſonis vrbana ferunt tùm verba Làtinis;
Ille vices comis Latia quoque voce rependit.
Tramite cùmque ſimul ſantes gradiuntur eodem,
Inquirunt, quò nempè petat, quæ cauſa viæ ſit,
Quiue modi, moreſque, noui quæ Regula Cœtus?
Mox ille eloquijs adeò reſpondet acutis,
Vt ſtupeant Genium vili ſub imagine tectum.

Duo fratres Dominicani Ordinis, Germani occurrẽt Philippo in via, dùm Senas peteret.

Tunc indè addentes grauiora indagine verba,
Multa rogant primis de Numine, conſona dictis,
Sollicitantque repentè ſuos exponere ſenſus.
Hìc valdè implexus, tenuis molimina ſortis
Obijcit, & minimi depromit munera Serui,
Sic latitare retecta cupit faſtigia mentis,
Sed fruſtrà: ſtudioſus amor nam pectora cogit,
Atque reluctantis ſatagit penetrare receſſus.
Ergò vtriuſque diù compulſus honore rogantis,
Interiùſque Deo ſtimulatus, corda mouente,

Miratur aciẽ mentis Philippi.

In-

Philippus cogitur respondere questionibus Theologicis.

Intonat alta modis adeò secreta disertis,
Vt summa æthereæ reputent oracula linguæ:
Namque Viri solitas dulcis facundia metas
Soluit, & incautus diuturna silentia Zelus
Rumpit, amore pias contendit & vrere fibras.
Non secus ac Tybris, pluuijs dùm crescit obortis,

Comparatio.

Protinùs assueto surgens erumpit ab alueo,
Irruit & valido vicinis impete campis,
Telluremque rigat latè turgentibus vndis.
Hactenùs ille animi raras obnubere dotes
Instituit, Cœli sed opimis imbribus auctus
Pectoris è medijs educit finibus alta
Dogmata, flexanimo rapiunt quæ corda lepore,
Dixeris vt, propriæ haud illum modulamine Suadæ,
Tanta sed ore sacro mysteria pandere Diuùm.
Tùm docti Iuuenis, bini præconia, Fratres
Concelebrant, & nota ferunt ad sydera dona.
Excitat à raptu, longo qui tempore sensus
Arrectos tenuit, grandis præcordia plausus;
Et citiore dolet, voces fluxisse palato,

Dolet Philippus quod dignoscatur Ingenij Vires.

At semel emissum volat irreparabile verbum:
Tunc impressum animis curans diuellere nomen,
Non mea sunt, inquit, sed vestra hæc lumina, Patres:
Quos audistis enim, scioli sunt pectoris ausus,
Vos maiora decet persoluere pensa Magistros,
Atque occulta sacræ reserare arcana salutis.
Parcite, dùm tantas mens nescia voluit abyssos,
Altior à vestro dimanat acumine sermo,
Alloquijque decus vobis debetur, & ordo:
Nam me sola manet petulantia, lausque pudenda,
Viscera quæ dudùm pœnis torquebit acerbis.
Tùm prior exstimulans cordis penetralia dictis,

Mens

Mens humilis tibi, frater, ait, dat munera laudum;
Quidquid & obiectes, sublimia sensa recludunt
Ingenij vires, abiguntque abiecta canistri
Officia, ad maiora nouæ monumenta Cateruæ
Alliciunt, sacrique vocant ad culmina ritus.
Nec tribuit tot dona tibi Regnator Olympi,
Vt defossa imo lateant in corde talenta,
Sed iubet, indoctis amplo respergere censu.
Vtilis annè tibi concessa scientia soli?
Hanc quoque crede datam, multos vt luce Sodales
Erudias planè ad claros virtutis honores.
Sic ego, sic alter stimulis agitamus ijsdem,
Hortamurque simul, collata vt munera, dignis
Ad Cœtus vsum faciat communia, curis.
Tùm genibus flexis, lacrymisque per ora volutis,
Orat, colloquium pressis reticere labellis.
Cautus at ille labor studio vanescit inani;
Conditio in summos seruilis abibit honores,
Nomen & illustris dabit indelebile virtus;
Mox sedenim totam Germanus vterque per Vrbem
Ingeniosa pij spargit documenta Philippi,
Ac memoranda serit meritæ præconia famæ;
Arguit, egregiæ Seruitas indolis altum
Neglexisse decus, nec non sepelisse latebris
Immensas virtutis opes, & præmia Diuùm.
Hincambo Romam aducti, mox nomine replent
Conspicuo, primi Seruorum Præsulis aures,
Insignesque animi per magna encomia dotes
Ostentant, referuntque pio sata dogmata sensu.

Peruenit ad aures generalis Ordinis Seruorum.

Instruit intereà Tyrones, hæcque profatur.
Cara mihi Soboles, sacræ noua germina Turbæ,
Allatura suo maturas tempore fruges;

Habet sermonem ad Nouitios.

Seruulus en tenui Seruorum ex agmine ductus,
Præsulis & vestri lectus moderamine Rector,
Fingat vt innocuos pietatis ad arma Maniplos.
Munus inire meis, heù! tædet viribus impar.
Nam micat anterior solerti mente Magister,
Religione viget, virtutis honore coruscat,
Ac Seruitani primus stat Pastor Ouilis.
At quis ego, nisi, vilescens vligine cultor,
Assiduoque cocus fumo, & fuligine squallens?
Quid faciam? obductis committam me nè tenebris?

Mira sui abiectio.

O, quis in his tendat mihi stamina fida periclis!
Incerto graditur pede mens ignara viarum;
At mihi vestra modò pressis vestigia signis
Nonnè sequi melius, dubios quàm ducere gressus?
Nam superant nostros Tyronum, credo, labores.
Vos decet ad grauiora cito properare volatu
Culmina virtutis, maiore iuuamine fultos,
Ad sacra dùm Superùm immotis altaria fatis
Tenditis; ætherios meritò simulabo vigores.
Vos igitur, vos clara rogis exempla supernis
Consociate meis, grato fulcimine votis.
Si mihi, si vobisque faces sint Numina, spero
Tritis posse vijs, positas attingere metas.
Dignius obsequium est, minimis parere ministris,
Maiorum seruire Ducum quàm nutibus altis.
Dixerat: & Pubes flammantia verba reuoluens
Illicò syderei stimulis agitatur amoris,
Brachia dat collo, summoque veretur honore;

Eius eloquentia mouet omnino Nouitios.

Plures que abiectæ velari tegmine vestis,
Atque Philippi inhiant seruilem ducere vitam.
Ast, inquit, quò ardens raptat præcordia zelus?
Quemque humiles versare, decet, sub pectore sensus:

Verùm

Verùm cuique ſuam, Diuùm eſt, condicere ſedem.
Creditur haud Sanctus, loca qui tenet infima Cœtus;
Hic loca prima meret, domitat qui cordis hiatus,
Atque ſuas vili metitur origine vires.
Fortè ſtupetis & hanc lacero ſub ſyrmate ſortem?
Aſt animi leuitas, vana ad phantaſmata vergens,
Deijcienda fuit, Diuini pondere nutus.

Cùmque humili tales depromit pectore voces,
Ordinibus Rector, ſacris & deſtinat Aris,
Perque iterata premit nutantem iura Philippum,
Myſtarum vt Genti ſociari malit honeſtæ.

Iubet Generalis vt Philippus ordines ſacros ſuſcipiat

Luctibus heù quantis placidam mandata quietem
Exagitant! mæſtas quis proderet ore querelas?
Namque leues animæ, velut impia vulnera, næuos
Autumat, & minimas putat horrida crimina, culpas,
Seque tegi indignum abiectæ velamine pallæ
Credit; at obſequitur, Superùmque reſiſtere iuſſis
Non auſit, triplici qui nectitur ilia vinclo.

Ægrè fert ille ſed præſtat obſequium.

Qui priùs at dociles in vilibus obtulit armos,
Non ſinet in ſummos turgeſcere pectora faſtus.
Iam Fraterna Cohors alacri fælicia vultu
Omina concelebrat, Tectumque per omne boatū
Haud ſibi quæſitos, Sancto gratatur honores.
Sed dolet ille, trahitque graues è pectore luctus,
Dùm timet, inceſtare ſuis arcana piaclis.
Heù quis ego! vt ſit tanta mihi permiſſa poteſtas,
Inquit, vt inualidus diuinum fingere Numen
Murmure verborum poſſim, tenuique Farinæ
E maſſa generare Deum, genitumque repentè
Frangere, ſacrato fractum merſare Falerno,
Non viſoſque artus auidam demergere in aluum,
Atque hominum culpas ſcelerato ſoluere nexu,

Philippus indignum ſe ſacerdotio reputans illius exponit dignitatem.

 Con-

Conciliare Deo, cœloque parare colonos?
Hæc igitur misero dabitur tàm multa potestas,
Quam neque purpurei valeant sibi sumere Reges,
Quisquis & æthereos bonus Angelus incolit orbes,
Quisquis & infernas malus angelus incolit oras?
Heù quàm dona meas excedunt talia vires!
Nam sacra deposcunt, & sacram munera vitam.
Væ mihi, si prauis temerem mysteria factis.
Quid tutum est, timidæ dùm tanta pericula menti,
Mille per incautos intentant funera casus?
Dixit, & exutus seruilis tegmine vestis,
Induit appositum mutatæ sortis amictum;
Nec tamen illecebræ nouitatis corda morantur,
Sed magis efficiunt humilem noua tegmina Sanctum.

Tùm grauibus dictis caros hortatur alumnos,

Hortatur nouitios ad humilitatem & modestiam.

Vt prodant humiles toto conamine mentes,
Moribus & placidis vitæ dent signa modestæ;
Ne quis colla gerat vesano turgida gestu,
Neuè pijs vllum damnosa superbia factis
Inflet amore sui, perimat vel tabe veneni;

Clarior Philippi schola imago vitæ est, & exemplum bonorũ operum.

Hæc namque vt latitans mali sub cortice, vermis,
Dente solet Stygio meliores rodere fruges,
Diruit ætherios ad cæpta salubria motus,
Surripit & flores, spargit dùm liuida vepres.
Talia dat. Tamen eximiæ virtutis imago
Vtiliora facit Tyronum iure Lycæa;
Si quis obex sedenim teneræ fastidia pubi
Præbeat, ille prior rigidos tentare labores
Incipit, & faciles aperit solertia calles.
Scilicet in Fratres manant exempla Regentis,
Vtque Ducum leges, sic mores Claustra sequuntur
Res priùs horreri mauult, quàm lege vetari.

Si qua lues modicæ iuuenilia pectora culpæ
Debilitet, duras minimo pro crimine pœnas
Soluit, & effrænos integra in membra furores
Concitat, vt proprios, velut ipse, piare reatus
Exemplo curent; mira dulcedine cunctos
Corrigit, & nimios nouit lenire rigores.
Temperat vtrumque æquali prudentia lance.

Exemplo suo nouitios docet.

Aestuat ergà humiles ardentibus ilia flammis;
At similes prodit cunctis mansuetus amores.
Roborat vrgenti trepidas solamine mentes.
Tartareo quos dudùm angor liuore fatigat,
Consilijs firmat, vultuque serenat ouanti.
Quj nimio celsos halant feruore volatus,
Continet eloquio, pressisque coërcet habenis.
Debilium lentas releuat fulcimine vires;
Quosque tepor, segnisque tenet torpedo ligatos,
Excutit, inque altos animat sermone triumphos.
Tollere quemque studens humeris, æqualibus omnes
Ponderibus librat, similesque in pectore curas
Versat: amorque sacras discriminat artibus artes.
Scrutatur, qua mente citi, quibus Orbis honestas
Aestibus abijciant sortes, gazasque Penatum;
Ingenij, cordisque imos indagat amores.
Cùmque animi motus oculis penetrarit acutis,
Cunctorum ex nota præstantes indole mores
Dirigit, & quemque ad proprios sibi, destinat actus.
Commonet & precibus totos intendere neruos,
Continuisque Deum votis placare Tonantem.

Diligit humiles, sed æqualem omnibus exhibet dilectionem.

Nam prece, fatur, opes cœlestis apiscimur omnes
Sedis; in Oceano miserentis Numinis alto
Splendidiora, citis quàm quæ iam fugimus alis,
Piscamur bona. Semper &, oro, vouete Parentis

Hortatur alūnos ad conciliandos sibi oratione Superos.

Vir-

Virginis obſequio flagrantia corda fideli;
Quippè doloroſæ Seruorum pectora Matri
Vberiora decet, reuerentibus addere flammis
Munera, cùm tituli, veſtiſque feramus honores;
Talis enim pietas Hyblæo cæpta liquore
Condit, & æthereos, veluti flos, ſpirat odores.
Quid Deus at renuat, petitur dùm nomine Matris?
Ex quo factus Homo conſenſu Virginis almo eſt,
Mortalique decus ſtatuit ſub mole, perenne,
Deſinit, haud blandos, Ipſa poſcente, fauores
Annuere. Et nomen Seruorum Virginis vnum,
Dæmona terrificat, barathriſque immittit Auernis;
Ille poteſtatem ſummi à Genitrice ſubactam
Numinis agnoſcit: ſolam virtutis & vmbram,
Virgineique inſculpta timet ſimulacra pudoris.
Eius opem, Famuli, columenque rogate ſecundum,
Rituque aſſiduo mæſtos celebrate dolores,
Nempè, velut noſtri genitalia ſemina Cætus.
Sic loquitur. Dein multa dedit præcepta Iuuentæ,
Quæ ſeruanda piæ figunt veſtigia vitæ,
Ac longæua manent in ſacris nomina faſtis.
His bibulas implet Victor ſermonibus aures.

Decreta Philippi pro nouitijs hactenus in Ordine ſeruantur.

Erudit vt Iuuenes, bis frugibus area trita eſt,
Et ſub idem tempus, meritas impulſus ad Aras
Intemerata parat duris præcordia pœnis,
Dignior vt tractet ſacrata arcana miniſter.
Nec ſat, obire, putat, ſapientem munera myſtam,
Ni ſimul & fiat temeratæ victima plebis,
Caræque inuigilet, ſtudio feruente ſaluti;
His fauſtè incubuit; tot enim ſapientia ſanctos
Efficit, in ſacro quot Cœtu fingit alumnos:
Haud amor hìc hærens, ad munia grata lacertos

Pro miſeris vertit, bello graſſante, colonis.
Namque rebellantes vix fert Florentia Senas.
Manfrædus ſpurius Fredrici filius, arma
Inter vtramque Vrbem, ſanctamque aſperrima Sedem
Commouet, & rixas diſpergit vtrinque cruentas.
Iam furit impietas: & in vrbe licentia Senis
Immoderata feras cumulat per compita cædes.
Tunc peccant impunè mali, feritatis imago
Ingerit ipſa metus, diræque pericula mortis
Promit aperta viris, triſtes & vbique labant res.
Ille horrore trucis perculſus viſcera Martis,
Diuinoque ardens diffuſa incendia zelo
Penè domat, reuehitque acres ad Numina Ciues,
Ampla ſubacturus venturo tempore regna.

Senenſes Summo Pontifici rebelles hortatur ad obedientiam.

Intereà Patrum accitur Conſeſſus in ædes
Sanari, à primo Cœtus fundamine quartus.
Atque Philippus adeſt, oneriſque expleta recenſet
Munera Tyronum. Notos tunc ordine mores
Cuiuſque eloquitur iuuenum, nutuſque profatur.
Exprimit &, quanti refert, effingere pubis
Flexibilis mores, ſpiret pietatis vt auras.
Mox rogat, inſignes patiantur, munera, Patres,
Abdicet, vtque graui exoneret ſe pondere curæ,
Et veniam ſupplex gemebunda voce precatur.
Olli geſta canunt: vigiles ſuper aſtra labores
Laudibus attollunt, grauioreque munere dignum
Depromunt, magnoque ferunt inſignia plauſu;
Tyronumque iubent ſacrata reſoluere Iura.
Mox data ſparguntur varios decreta per orbes,
Ac ſeruantur adhùc, ætas nec longa nouabit.

Sanario in monte celebratur Capitulum generale.

Exuit ſe Philippus onere nouitiorum.

Scribit decreta pro nouitijs inſtituendis.

Tùm petit acceptam flagranti pectore Cryptam,
Scilicet vt ſubigat celebrandis præuia Sacris

Ar-

Meditatur in Crypta, vbi degerat 4. annis præuia ad celebrationē missæ.

Lucta inter Deum & Sacerdotem.

Arma, acuatque nouus miles, pugnæque paret se.
Hinc Deus, hinc homo continuo nituntur agone;
Hic petit, ille negat, simulat vel nolle repulsa
Se dare, quod petitur; tunc fit certamen amoris;
Incaluere animi vegeta certare palæstra;
Namque vtriusque sacro nectuntur corpora vinclo;
Mystæ cum Christo libamine corda ligantur,
Pectora pectoribus iunguntur, cum pede stat pes,
Et digiti digitis, & frons cum fronte, premuntur,
Miscenturque manus manibus, pugnamque lacessunt;
Arripit hic valida terrentia fulmina dextra,
Inque reos fingit iaculum vibrare lacertos;
Distinet ille manus, & telis pectora tundit

Sicut vitta coccinea labia tua. Cant.

Dia precum calidis, sanctoque litamine placat.
Coccinea est Mystæ, sacratum, vitta, labellum,
Imas sydereo comburens igne medullas,
Numinis & tali Omnipotentia brachia fune
Stringit, & ignitis telis ignita retorquet
Tela Dei, tandemque iras refrænat acerbas.
Expendit vigili sacra prælia mente Philippus,

Philippus in saxo manu propria constructas arā.

Saxosam, sculptamque manu tùm fusus ad aram.
En ego factus, ait, nouus, ò Deus alme, Sacerdos,
Teque volente, canam diuini mystica Sacri.
Conditionis honos, ad quem tua summa cierunt
Numina, demersam vasto sub gurgite mentem
Voluit, & ætherei pugnas indicit amoris.
Cogor inassueto tecum contendere bello,
Imbellisque Poli, mucrone lacessere Regem?
Quæ mihi, quæ pars heù! summo cum Principe rerū,
Vno qui nutu totum quatis acer Olympum?
An non Aligeros altis è sedibus hostes,
Voce tonante, reos Stygias immergis in vndas?

Audent impauidis tecum concurrere telis,
Atque Throni ſuperas temerè conſcendere Sedes;
Aſt audace luunt ſubitas de crimine pœnas.
Oſa manu plenam diuini Numinis Arcam
Tangit, & ætherij foditur mucrone lacerti.
Quid referam, quibus atra modis petulantia Regis
Memphitis teritur, ſummi dùm Numinis altos
Arrogat inſana, ſibi, mente proteruus honores?
Hic ſublime Dei ſolium omnipotentis anhelans;
Ad Taurina miſer ſubitis præſepia vinclis
Stringitur, & pro thure datur vel graminis herba.
Iam ſi iuſte Deus, ſæuis conſternere telis
Corda ſuperba ſoles, tecum dùm prælia miſcent;
Heù! quis ego, vt tantis auſim ſuccedere pugnis?
Turbine cum valido fruſtrà contendit arundo.
Aggreditur fortem titubans vix agna leonem;
Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ.
Hæc vbi dicta, genæ lacrymarum fonte rigantur;
Ieſſæique pios Vatis meditatus amores,
Lætitia totos agitatur præpete ſenſus.
Summe Parens, ait, ecce tuis obtempero iuſſis;
Congrediar tecum, tantis ſed viribus impar.
Iam cedo, ſacriſque aris iam ſponte propinquo;
Tu nuſquam modò, Chriſte, meus comes ire recuſes;
Sed tibi cùm toto ſit in Orbe ſuprema poteſtas
Iuris, & æquarum ſis lex, & regula legum,
Sit curæ mea cauſa tibi, parteſque tuere;
Pectora lethifero culparum tincta veneno
Ablue, meque malis hominum diſcerne Cateruis;
Cordis & infectos ſi Dæmon arguat æſtus,
Tu clypeus, tu ſola meæ tutela ſalutis,
Inſidias, Hoſtiſque dolos infringe ferocis.

Nabuchodonoſor.

Meditatur pſalmum, iudica me Deus

Eius spes & i Deum Cō-fidentia.

Præteritas memorat noxas, terretque futuris,
Vt Stygia inuoluat sacras caligine flammas;
Aestuet at rabido mihi gens inimica furore,
Euomat horrisonas Phlegetontis ripa procellas,
Ignea nimboso vibrentur ab æthere tela,
Horrendis furiosa minis bacchetur Erinnys,
Denique Tartareæ minitetur & ira Cohortis
Mille per innumeras mihi bella, & funera, fraudes,
Dùm tibi paruerim, rabies gemebunda pauescet,
Flammeaque in propriam torquebit spicula frontem.
Tu mihi, summe Deus, virtus, & vita perennis,
Tu mea dulcedo, tristes qui pectore luctus
Soluis, & ancipites depellis luce timores.

Cùmque Philippo animos, pulso mærore, serenos
Gaudia dant, hilaresq; edunt Fratrum agmina plausus,
Tota sacerdotis redimitus corpora veste,
Ore verecundo rutilas accedit ad aras,
Maiestate sacra, & diuino Numine plenus;

Celebrat Missam in Sanazio.

Ardentique vstus pietatis viscera ab igne
Dignus Apostolica præfulget mente Sacerdos.
Quisque oculis, & corde Virum comitatur euntem,
Atque nouos sentit flammato pectore motus.
Illius at teneros quis verbis prodat amores,
Arcani sublimis opus dùm pergit ad altum,
Nempè pio Christi quo Corpus conficit ore?
Cùm verò erigitur manibus sacra Hostia iunctis,

Audiuntur Angeli canentes Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth, seù diuinum Trisagium.

Protinus Alatæ concentus in æthere Turmæ
Auribus insonuit, Triadi Pæana canentis.
Dixeris è Cœlis omnes migrasse colonos,
Aut fieri terras inuerso cardine Cœlos.
Aula triumphali pompa, luxuque beato
Cœlestis prodit, volucri stipata Phalange;

Iam


P.° 122

Iam clangore ſtrepunt radianti Claſſica nube ;
Diſtanti certant reſonàntia Tympana bombo .
Dulcibus Inſtrumenta modis , cum vocibus vnà
Ordine diſſimili variant diſcrimina cantus .
Aurea pulſantur ſolerti Cymbala dextra .
Organa diſparibus gratùm modulantur auenis .
Hìc plectro , hìc blando reſonabant pectine nerui .
Plurima compactis reſpondet . Tibia cannis .
Siſtra , chelys, Citharæque, lyræque, & Barbitos odas
Edebant ſacras , ictis modulamine chordis ,
Quod patulas miris concentibus attrahit aures .
Tùm venti ſiluere omnes , pictæque volucres ,
Fluminaque , & nemorum frondes, lætumque ſuſurro
Intonuit Cœlum . Reſponſant littora circùm ,
Reſponſant valles , vocis reſponſat Imago .

Muſicæ cæleſtis deſcriptio

Sed vos , Pegaſides , procul, ò procul eſte Sorores ,
Cedite Cœlitibus , rauciſque ſilete cicutis.
Concaua ſint vobis Heliconis ad antra receſſus ,
Fundite ibi varias , vario diſcrimine voces .
Saxa ciete Chely , modulis citharæque ſonoris
Conſonet omne nemus , numeroſque incluſa volutent
Littora , pulſati referant ad ſydera colles .
Plectrum dulce Poli non æquat fiſtula Pindi .
Inclyte Pieriæ Rector telluris Apollo,
Præſes & Aonidum , tantis concede magiſtris .
Orpheu tuque ſile modò , nec te ſaxa feraſque
Oſtenta mouiſſe lyra , fidibuſque canendo ,
Tardaſſe attonitis ſpumantia flumina ripis :
Namque animos maiore rapit pennata Cohors vi ,
Dùm modulis captat Diuoſque,homineſque canoris .
Hæc inter Diuina magis ſed pectora mulcet
Alma Benizinæ pax , & concordia mentis ,

Apoſtrophe ad M[illegible] Apolli Orphei.

Quàm melos argutum, Angelico quod funditur ore.

Admirabundi excipiunt Angelicum concentum quotquot Sacro interfunt.

Tunc omnes, qui tanta ſtupent miracula teſtes,
Iubila concelebrant, grandique ſilentia plauſu
Rumpentes, dulci commiſcent gaudia fletu,
Cœleſtique ſono ſolennis cantica laudis
Reſpondent. Ille immotus myſteria pergit;
Et, qua mente ſolet duros perferre labores,
Portentoſa pari tranquillus ſigna veretur.
O bona ſimplicitas, tanto quæ fænore carpis
Ex modico tantas, quod ſpargis, ſemine fruges!
Quas virtutis opes humili tegit arte Philippus,
Prodigijs, miriſque modis Deus ipſe recludit.
Nonnè oſtenta piæ ſplendeſcunt crebra Coronæ;
Proſpera magnarum veluti præſagia rerum,
Seruitana quibus faſtigia tollet ad aſtra?
Iacobus, qui prima Chori tùm lora regebat;
Vellet ad inſignes Myſtam ſuſtollere honores,

Generalis vtitur induſtria Bonfilij vt Philippum diſponat ad munera obeunda

Arcta ſed imperij nolens præponere iura,
Vtitur experto priſci molimine Patris,
Explicuit qui viſi aliàs myſteria Currus,
Cuique exindè fuit ſummo deuinctus amore.
Inſtructus penitùs cæleſtia dona Philippi,
Ordinis oblatos hortatur, carpere faſces.
Mens erat, ò fili, tùm fatur, Numina primas

Sermo Bonfilij Philippum hortantis.

Dùm voluere ſacri nos Cætus condere cunas,
Cum Socijs vnà taciturnam ducere vitam,
Curarum immunem, noſtramque inhiare ſalutem;
Me tamen immeritum ad ſummos euexit honores
Cura Sodalitij, Diuùmque ſuprema voluntas.
Aſſiduos rerum pro ſorte vorare labores
Contigit, & varios temerandi pectora caſus
Offendi, ſed opem tùm Numina ferre benigna

Non renuere mihi, gelidosque fugare timores.
Non apices, credo, tumidi venaris honoris,
Sat noui; quin ipsa grauis vestigia fastus
Ima repentino consternunt corda tremore;
Obsequia imperijs præfers, & vincula gemmis:
Paret at ille satis, qui iussus tractat habenas.
Nunc eget Ordo viris, quorum solertia Fratres
Et colat incultos, & cultis imperet vltrò:
Namque Ouium numerus varijs crebrescit in oris,
Surgentis sed cura Gregis mox quemque fatigat.
Esuriens, propè nullus adest, qui pascat ouile,
Dùm fremit ad caulas Dæmon, & faucis hiatu
Cunctas vellet oues rabie sorbere lupina.
Nonnè nouus sub Pallæ huius velamine Tyro
Dulcia suxisti veterum spiramina Patrum?
Viribus at desunt segnis grauitate senectæ,
Aut properata piæ rupit Mors stamina vitæ.
Iamque aut fraternæ cura vigilare saluti,
Aut humiles, vitæque bonos corde exue mores;
Præsulis vrget enim sermo, nutusque iubentis.
Munera fortè tuas dices excedere vires,
Aut mille in culpas præbere pericla cadendi;
Religio, Diuùm summo quæ Numine gaudet,
Fulciet imperium, magnisque per ardua rebus
Gestiet assiduis te tandem incumbere curis;
Mitia cùmque feres caræ solatia Matri,
Illa flagrante Deum tibi reddet amore fauentem.
Grande nefas, properare vijs ad pensa retortis;
Nec minus esse puta, firma cùm mente recusat,
Atque tenax obstat superis sententia votis.
Sunt onerosa viris, ò fili, munera sanctis
Pondera, non verò placidæ oblectamina vitæ.

Talia si reputes; onerum contagia nulla
Innocuum turpi fœdabunt crimine pectus.
Non leuium claros ad fastus hortor honorum,
Sed tibi sollicitus varios inspiro rigores,
Nempè regas vt oues, Pastor si fortè legaris,
Vtque feras humeris, & pascua sacra ministres:
Vt tua cùm tergis, tergas & crimina Fratrum,
Atque gemens, tepidis places pia Numina riuis.
Sic tibi nempè timens, alijsque timere paratus,
Deijceris terrore magis, quàm fama leuarit.
Iam propè triginta numerat Patientia brumas,
Cùm mea consimiles, onerant præcordia curæ.
Deficiunt vires, onerumque senecta labores
Non patitur, longæua graues; iam vita sub vmbras
Festinat, fatique videt contingere metas.
Desine iam tandem, precibusque inflectere nostris,
Atque reluctari vel crimen, crede nefandum.
Macte animo Fili, monitis solabor amicis,
Quo Deus & modicam lustrarit lumine mentem,
Quæue meis fuerit curis experta Senectus,
In tua per voces effundam corda salubres.

Respondet Philippus.

Hæc vbi dicta, Philippus agens ex indole grates,
Nescio, quæ firmos tenet, inquit, opinio sensus,
Inscius ad tantas dùm sollicitudine curas
Impellor; testorque Deum, me talia fantem
Nolle humilem ostentare nouo conamine frontem,
Sed, quæ animo voluam, sinceris promere dictis;
Nam tremo, ne fugiens vani fastigia mundi,
Et dubij vitans spumantes æquoris vndas,
Ordinis in placido nanciscar funera portu.
Quodlibet eueniat, iussis parebo supremis,
Et mea spontè iugo supponam colla ferendo.

Fortè

Fortè vel obſequio minuentur pondera prompto,
Vel mihi præbebunt ingens tua vota leuamen;
Nam veneror patrias, quas fundis pectore voces,
Teque colo, vt primum, ſparſit qui ſacra, Colonum,
Semina virtutis medium per cordis agellum.
Intereà magno, quod primus in Ordine, Iure,
Exerces, onus omne meis auerte la certis,
Videris vtque, moram diuinas ſiſtere Leges
Non potuiſſe, iugo ceruices protinus alto
Sponte dabo, precibuſque tuis decus omne refundam.

Spondet ſe onera accepturum.

Dixerat, & monitus præter Bonfilius orſos
Inſerit, atque animo moderaminis apta capaci
Dogmata; namque nouas inuiſens ordinis Aedes,
Iura impoſturus, ſociumque adhibere Philippum
Iam ſolitus, totis contendit viribus, ipſum,
Religioſarum ſpectant quæ ad munia Legum
Inſtruere, & genios Fratrum, moreſque, viceſque
Ingerere, atque animis inferre domeſtica rerum,
Vt tandem expertus, ſupremas tractet habenas.

Bonfilius ſibi adhibet ſociū Philippum dùm Conuentus viſitat, vt aptus fiat ad gubernaculū Religionis ex rerum experientia.

FR.

FR. GERMANI SARDI
MASSILIENSIS
Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis, Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER VIII.

ARGVMENTVM.

Ordinis eligitur coelesti voce Philippus
Præsul. Apostolica Eoas transmittit in oras
Agmina. Sydereas Areti Fratribus escas
Suppeditat. Iungit discordes foedere Ciues:
Dat Seruitano legum præscripta Maniplo.

CVmque Philippeas placidis Bonfilius aures
Personat eloquijs, vt sacri pondera Cætus
Sustineat, tractetque pio tentamine fræna,
Iudicis eximio primi insignitur honore,
Ordinis in varijs vt rerum casibus altas
Consilijs teneat, summo cum Præsule sedes,
Libret & vrgentes æquali lance querelas:
Componat lites, legem tueatur, & æquum.
Namque vt floris honos septo redolentis in horto,
Colligitur vigilis dextra Custodis agresti,
Donaque mox vernæ exponit fragrantia Floræ;
Sic ille in sacro flos emicat Ordinis aruo,
Virginis & cultus cœlesti Chloridos arte
Ambrosios almæ spirat virtutis odores;

Philippus eligitur Definitor Generalis

Comparatio.

Virgo Maria Chloris.

Quem

Quem Seruitani Præses, Custosque vireti
Carpit, & ad celsi tollit laquearia Tecti.
Inclyta solerti præbet moderamine signa
Ingenij, quo iura suis dat rectus alumnis.
Dulcia verba merent diuæ præconia vocis,
Quæque gerat, retegunt validæ miracula dextræ.
Hinc Patris, redimit ternis qui sacra, coronis
Tempora, legiferum promunt Diplomata Mosen;

Paulus V. in Bulla Beatificationis Sancti Philippi vocat ipsum alterum Moisen

Roborat ardenti Cœtus primordia zelo,
Assiduo satagit lapsus reparare labore,
Atque relaxatos labenti tempore mores
Instaurat, reuocatque decus, sarcitque ruinas.
Curat vt Vrbanus renouet diploma, recenti
Quò magè firmetur Seruorum Regula, Iure.
Pontificisque diserta suæ facundia linguæ
Sic animos mulcet, varios vt sponte fauores
Annuat, atque Viri summi indelebile nomen
Auguret, & magnæ celebret præludia mentis.

Philippo regente Vrbanus Quartus renouat confirmationem Ordinis Seruorum.

Iam cœleste Iubar ter denos soluerat orbes,
Dùm tali aggreditur perfungi munere; moxque
Ordinis eligitur primi Collega Magistri,
Consilio infirmas Senis vt sustentet habenas.

Philippus natus erat 30. annos cũ Eligitur Collega Generalis.

Munus vtrumque onerat grauioribus intima curis
Pectora; nam rerum tùm pondera tota lacertis
Incubuere, suoque stetere negotia nutu.

Ipsius authoritas.

Quò magis ad strictas oneris se cogere metas
Nititur, hòcque magis protendit lora supremus
Rector, & ingeminat rerum grauitate labores.
Religiosa tenet sacri dùm fræna Manipli,
Præbet & externis mundi opportuna colonis
Munia, consilijs, præclaræ & imagine vitæ.
Spargit vbique nouis virtutis semina gestis.

Eius charitas in Monachos, & Sæculares.

Diues, inopſque pari ſtudio curantur amoris.
Audit in arcanis patiens errata ſigillis; *Audit confeſ. ſiones.*
Aſſiduis diuina ſerit myſteria verbis,
Inque pios facunda trahit ſuadela labores.
Frugiferæ ſurgunt ſparſo de ſemine meſſes, *Conciones habet.*
Pectoribuſque nitent fuſi pietatis honores.
Iam Regina graues Naturæ, Gratia, dotes
Finxit ad imperium; diuis iam munera donis
Fulcit, vt æterno religentur fœdera vinclo. *Prodigia vnionis Gratiæ cũ Natura in Philippo.*
Iamque vno in ſolio geminæ ſedere Sorores;
Mutua flammatis infigunt oſcula tœdis;
Intima multiplices ſtringunt commercia nodos;
Donaque communes hominum vertuntur in vſus.
Publicus hinc ardeſcit amor, cùm moribus æquis
Inclinat populo cæleſte modeſtia culmen.
Dirigit infrænas mira dulcedine mentes,
Et mouet affectus, & ſenſus vrget inertes;
Lætitiam ſimulat, mærores fingit, & iras,
Nullaque colloquijs obſiſtunt corda diſertis.
Ordinis orta Domos opulentis vndique Fama
Muneribus cumulat; reſerat pia vita crumenas. *Diuæ Annunciatæ celeberrima Domus conſtruitur.*
Florentina amplis tùm donis conditur ædes,
Munificos vbi ſumma tulit ſibi Virgo fauores.
Tùmque legit virtute viros, meritiſque decoros,
Erigit inque nouam ſolerti mente Cateruam, *Erigit Congregationem virorum Florentiæ.*
Partheniæ quæ ritè colat decora alta Parentis.
Quodlibet aggrediatur opus, vel Numinis almos
Inſpirat cultus, vel ſummos halat honores,
Aut animarum ardet, zelo ſtimulante; ſalutem.
Ille Philippus erat, fatui qui culmina mundi
Effugiens, auſtera ſuam per luſtra quietem
Quæſierat quondam, at varijs mens inſita curis
Inſi-

Infinita repentè viris ſolatia præbet.
Vt diſcretus enim ſeptena ad cornua Nilus,
Prouida dùm reſerat clauſis manus oſtia lymphis,
Riparum impatiens latè per plana iacentis
Aegypti diffundit aquas, genitaliaque arua
Fæcundat Libyci fœlici vligine limi;
Blanda Philippeum os fecit facundia Nilum,
Sacroſque humectans Seruorum Virginis agros,
Influit in Mariam, ſepteni gurgitis æquor;
Aeſtuat Illa etenim ſeptemplice corda dolore,
Quilibet & luctus ſtat gurgitis alta vorago.
Cùmque humiles tenuere diù clauſa oſtia ſenſus,
Dona ſub interno latitabant pectoris alueo.
Vt primùm ad ſummas panduntur limina virgas,
Imperijque datos depromunt munera faſces,
Eloquij latices irrorant Ordinis arua,
Et velut vndantes fœcundant pectora riui.

Comparatur Philippus Nilo fluuio.

Maria Virgo eſt æquor æſtuans ſeptem doloribus.

Ergò Philippus, apex cui diſplicet altus honoris,
Cogitur inſignes virtutum laude triumphos
Carpere, dùmque fugit, fugientem dona ſequuntur
Numinis immenſi; ſenio tùm namque Manettus
Languebat, quartus qui Præſul fræna tenebat,
Nec poterat tantis Cœtus incumbere rebus.
Florentina ergò Conuentum cogit in vrbe,
Aeger et exponens incommoda longa Senectæ,
Talia Concilio præſentibus addit Alumnis.
Iam mihi tarda gelu ſæclis effæta ſenectus
Inuidet imperium; ſeræque ad fortia vires.
Nunc onus abijciunt humeri; iuuenile, Sodales,
Robur abit; iam corpus iners langueſcit, & hæret.
Eligere eſt virtute Virum, ingenioque valentem,
Qui Seruitanæ teneat ſuprema Phalangis

Manettus vnus ex 7 fundatoribus fuit iv. ordinis Generalis.

Lora ſagax; meritoque pij contendo Philippi
Hoc onus optatis imponere iure lacertis.
Splendida, ſorte dedit gaudens monimenta, minori.
Erexit lapſos vegeto conamine mores,
Fulſit & extructa virtutis vbique Palæſtra.
Voluite nunc animis, tulerit quàm ritè ſupremos
Imperij lituos, & ſummi pondera Iuris,
Siuè per alta Dei, quibus vltrò, dona, coruſcat,
Siuè per expertas, quas mecum rexit habenas,
Sat patet omnigeni moderaminis eſſe peritum.
Dixerat, & ſummi, tota illicò Concio Patris
Propoſitæ, præſtat ſuffragia publica, menti.

Philippus renuit Generalatum.

Vox illa, vt tonitru, percellit corda Philippi;
Mòx proſtratus humi, lacrymis rorantibus ora;
Heù quàm vrget, fatur, præcordia feruor inanis!
Nunquid inexpertum celſa ad faſtigia vultis
Efferre, vt grauiore ruam ſub Tartara lapſu?
Qui teneræ Primi Clauum rexere Carinæ,
Aetate, & merito, & magna virtute micabant;
At quis ego, vt tantæ ſuſtentem pondera molis?
Heù, cur inualido rerum committere Nano
Congeriem cupitis, vermemque mouere Coloſſum?

Fuerat Magiſter Nouitiorum Definitor Generalis & collega Generalis.

Colla iugo iam ſponte dedi; iam terna ſubiui
Munera, dùm licuit primo parere Magiſtro;
Nulla mihi ratio, ſummas captare Secures,
Iam ſuadet: nec iure mihi modò cæpta refertis,
Omine quæ fauſto nuper vidiſtis adorſa:
Huic referatur honos, apices qui linquit honeſtos.
Non renuo duros, quos ſpargit cura labores:
Malim pro Cætu millenas fundere vitas;
Sint modò fræna procul, ſors nulla videtur iniqua.
Hæc ait, atque adeò ſincero texuit ore,

Vt

Vt plerique suis commoti questibus, vnà
Conuertant aliò facili suffragia, mente.
Cur obstare, Philippe, iuuat? defendis honorem;
Quem fugis, & spernis tanta, quem mole tueris;
Respuis oblatum, pro quo labente resistis.
Quænam causa moræ? quonam cunctabere rursus
Ingenio? frustrà exortos à Numine nutus
Firmo animo satagis, duraque arcere repulsa.
Dùmque probos agitat mitis contentio Fratres,
Hac rèsonat mòx voce locus crepitante per auras.
Nutibus æthereis cur dure Philippe resistis?
Ipse ego te mundo rapui, qui legibus æquis
Ducas, atque regas electum Pastor Ouile.
Obstupuere Patres animis, gemituque frementes
Circumstant, lectique ruunt in colla Parentis.
Tunc ille obsequitur voci, moxque ora renident
Maiestate humili, sanctumque notante pudorem,
Vt dicas animare sacros pia Numina motus.
Occupat vt primum, Cœtu impellente, Sedile,
Et carpit fasces, & bini stemma sigilli,
Tùm Chorus ingenti pronus reueretur honore.
Suscipit ille suos hilari tàm mente Sodales,
Mutua mirificis pateant vt gaudia signis.
Pectora cœlesti confestim percitus igne,
Intonat Isacidis flammantia carmina Vatis.
Vos, quibus alma viget puræ virtutis imago,
Pangite iucundo Magnalia dia susurro.
Vos decet alta Poli, summique encomia Regis
Concinere, & modulis cultus celebrare sonoris:
Dùm iubet, vt vilis vel homuncio pascat ouile
Virginis innocuum, sublimis sitque columna
Arcis honorificæ, Genitrix quam condidit alma.
Cre-

In loco vbi erant congregati suffragãtes auditur vox cœlestis iubens Philippo munus acceptare.

Tunc fasces erant authoritatis indiciũ & insigne.

Psalmus 32 Exultate iusti in Domino rectos decet collaudatio.

Sermo quem habet Philippus electus Generalis.

Credere cuique licet, noſtræ iam velle Phalangis
Fræna tenere Deum, miſeri molimine ſerui.
Eia agite, ò Socij, patrios componite greſſus;
Aſſiduis iras Diuùm compeſcite votis;
Virginis (ad cuius longæuo inſignia curſu
Tenditis) obſequio totis incumbite neruis;
Continua colite atroces pietate dolores;
Grandia quippè ferent Seruæ fulcimina Genti.

Magna habet his dictis Socios fiducia rerum,
Gaudiaque externis produntur plauſibus ima.
Lætitiæ cumulus ſed abit; mox frigidus horror
Membra quatit, geliduſque coit formidine ſanguis,
Vocibus Ille ſacri, quibus impetit Agminis hoſtes.

Clemens IV. diſcordes monachos interdictionis fulmine ferierat

Præcipites Clemens immani Turbine adegit,
In medijs Monachos, qui turbida ſemina Clauſtris
Rixarum ſpargunt, ſtudio pellente quietem,
Moribus atque nouas contendunt addere formas.
Fratris apoſtatici, deſertoriſque, rebelliſque
Increpat ille atras verborum fulmine culpas;
Non modò docta reas facundia territat aures:
Pulſat & inſontes ſubitis terroribus artus,
Quantùm melliflua tenuit dulcedine captos.

In præfatis comitijs Lotheringus eligitur Collega Generalis.

Eligitur Lotheringus ibi Collega Philippi,
Illuſtri de Gente Stufa, vir nomine clarus,
Doctrina inſignis, paucis pietate ſecundus,
Quem Domino peperit, texitque nigrante Cucullo.
Ille Sodalitio iuueniles egerat annos;
Præbueratque piorum alta argumenta laborum.
Hunc ſibi delegit ſocium, dextrumque ſodalem,
Nempè virum, cui rerum vltrò tribuantur honores,
Cuius, apiſcendam, celet ſub nomine, famam.
Tantus erat vanas ardor reſtinguere laudes.

Tùm

Tùm Patris Ausonij iussis, Florentiæ honestus
Præsul Apostolica confirmat voce Philippum,
Datque nouo, in toto persungi munere Cætu.
Gaudet, & ingentes hilaris Florentia plausus
Tollit, & accensam cœlesti lampada luce
Non modò Seruitis, toti sed fulgere mundo
Sperat, & armatos vrbis sedare tumores.

Episcopus Florentiæ confirmat eius electionem ex Bulla Pontificis.

Mox, vbi consuluit rebus, Perusina per arua,
Clementem conuenit, ibi tùm fortè morantem.
Agminibus iubet Ille sacris ediscere linguas,
Hebræam, Chaldæam, Graiugenam, Nabathæam,
Eoas vt nempè viros transmittat in oras,
Semina qui Fidei non cultæ in pectora Gentis
Dogmate dispergant, vt summi Regis Olympi
Numina suppliciter, plena veneretur acerra.
Pontificis decreta nouis expleuerat Ordo
Seruorum studijs, ipsumque monere Philippus
Muneris esse sui, Fratresque offerre paratos
Iudicat. Instructus Fidei primordia, Christi,
Lustralique sacri intinctus Baptismatis vnda,
Cabila, Tartariæ Princeps, Rectorque Scytharum
Percupit & similem populis inferre salutem,
Rebus & Imperij, si Lex diuina feratur,
Numina confidit vultu risura sereno,
Sedis Apostolicæ fulcit, de more, Columna,
Quos germana Fides orienti luce penetrat.
Christicola ergò nouus Rectori supplicat Orbis,
Religiosam in Regna citam legare Phalangem,
Imbuat ad Sanctos vt plebem sedula mores;
Vndè Philippus alens diuini incendia amoris
Instructos offert idiomata cuncta, Sodales,
Pura Euangelij populis qui verba ministrent.

Adit summum Pontificem iubentem vt qui libet ordo sacer linguas Orientales ediscat.

Rex Tartariæ factus Christianus rogat Papam vt mittat Religiosos qui Fidem in Regno disseminent.

Vt primùm subit ima sacræ penetralia Sedis,
Delibat pedibus vix primis oscula, labris,
Papa moræ impatiens, surgensque è Sede verentem,
Prostratumque solo subitis amplectitur vlnis,
Purpureis coram Patribus, claroque Senatu;
Gratatur Lecto; summis & laudibus æstus
Tollit amoris; auetque pij flammantia zeli
Munera noscantur, totoque ferantur in Orbe,
Atque animis impressa diù pietatis imago
Hæreat. Ipsa suum Virtus venatur amorem.
Fulget in augustis hominum cœleste piorum
Frontibus indicium, quo vel suprema potestas
Cogitur, insolitos meritis impendere honores.
Dùmque ità suscipitur Latij Pastoris in Aula,
Summa rei Ottoboni menti committitur omnis.
Huic veneranda grauem, cingebat Purpura frontem,
Ac Protectoris tunc almi munus obibat
Seruorum Cœtus; confirmat lora Philippi.
Ipsiusque statim Legato, ex mente Scytharum,
Religiosa datur, Fidei pro semine Turma,
Scilicet Eoos vt secum pergat ad Orbes.

Excidit hìc rerum series, vitæque Philippi;
Sed nec Apostolici memorantur singula Cœpti:
Tartariæ tamen Ordo plagis, Scythiæque, Asiæque
Creditur exemplis mores leniisse ferinos,
Infidi eloquijs Præcones pectora vulgi
Submisisse Deo, Fideique insigne tulisse,
Ac varias struxisse Domos, Cœtusque perennes;
Namque illo ex missu, post multa volumina sæclùm
Venit Anastasius Venetas Seruita per vrbes,
Cum socijs, Gangete tribus dimissus ab amne,
Concilioque dedit sacræ suffragia Turbæ;

Recipitur à Summo Pontifice.

Offert Papæ plures ex suo Ordine vt ad Tartariã prædicandi causa mittantur.

Ottobonus Cardinal. Protector Ordinis Seruorum.

Neglecta fuit historia rerum à Seruitis Apostolicis in Tartaria, & Asia gestarum.

Anastasius Seruita & tres socii ex India appulere Venetas, interfuere Capitulo Generali à Paulo III. excepti sunt anno 1536.

Tùm

Tùm quoque Romulea Paulus fauet almus in arce
Externis Monachis, auidiſque amplexibus hæret,
Quæque vetuſta tulere, nouo diplomate, Iura
Roborat, & multo remeantes munere donat.
Hiſque Philippus adhùc renitet Regionibus amplo
Nominis augurio. Aethiopes, qui mænia ſæpè
Florentinæ vrbis ſua per commercia viſunt,
Inquirunt, vbi nempè loci ſtet imago Philippi,
Quam venerentur, & imo ardentia vota rependant
Pectore. Nonnè viros inſtructos, credere fas eſt,
Hos quoque Seruitis, ſimili Titane crematis?

> Anno 1600 venerunt ex India tres Seruitæ Florentiam & Romam ad Iubilæum.

> Hæc Imago ex ædibus Philippi quę adhuc Florentiæ vigent, aſportata eſt in Eccleſiam diuæ Annunciatæ, & adhuc viſitur.

Hæc dùm Romulidum Rector molitur in Aula;
Aretina, fame crudeli, corpora torpent:
Seruitaſque ſuos collecta fatigat edendi
Ex longo eſuries, premit & turpi horrida vultu.
Gibellina feros, & Guelphica iurgia Ciues
Efficiunt; vrbs tota furit, diriſque fatiſcit
Excidijs, ardentè labant palatia buſto,
Parcitur haud agris, ferro populantur, & igni.
Dona flagrant Cereris, fibris velluntur ab imis
Arbuſta; inque ſuos vrbs torquens arma lacertos,
Hoſtes vel tot habet, quot fouerat antè colonos.
Ingluuie totas, querulique voragine ventris
Attenuarat opes, ſubijt dùm Tecta Philippus.
Heù! marcere videt triſti morientia Fratrum
Membra fame; ſortemque animo miſeratus iniquam,
Diſſimulat medio conceptum corde dolorem:
Atque arcere ſtudens ſæuæ diſcrimina mortis,
Imperat, aſſuetas extemplò ſternere menſas:
Et Dux, inſtructo cum Fratribus agmine binis
Ocyor ingreditur vultu, delubra ſereno;
Chriſtiferæque pijs proſtratus Virginis aris,

> Audit fratres Aretij fame tabeſcere, & pergit ad illos.

> Famis cauſa deſcribitur.

> Fratres ducit in Eccleſiam Coram imagine Virginis infantē IESVM portantis & diuinam opē implorat.

Talibus expoſcit cæleſtia Numina votis.
Tu, qui nulla, Deus, faſtidis corda repulſis,
Dùm fidunt, certamque audent ſperare ſalutem;
Summe Parens, facilem ne vultum auerte precanti,
Promptam ſed fer opem, & tandem res aſpice noſtras.
Per longa Hebræam quondam miracula Gentem
Pauiſti, ætherijs deſerta per auia ferclis;
Vt Mater, teneris immulgens vbera labris,
Nutribas. Diros Helias dùm effugit hoſtes,
Ieiunamque trahit frondente ſub arbore vitam,
Grata per Aligerum præbes alimenta miniſtrum.
Teque iubente, niger centum per circiter annos
Dimidio Coruus ſatiauit pane cauerna
In cœca Paulum, veniente ſed Hoſpite cellam
In gelidam, Cererem mox prouida duplicat Ales.
Quid memorem, te quinq; virùm per luſtra ſequentū
Millia, quos quino miſiſti pane refectos?
Plura per aſſiduas renitent miracula curas.
Porrigis & cunctis dulces animalibus eſcas.
Cur renuas, Pater alme, tuis iam pabula ſeruis,
Quæ catulis, auibus, pullis, coruiſque miniſtras?
Tuque Poli Regina, Parens & ſumma Cateruæ,
Per niueum ſacro, quem ſorbuit ore liquorem
Filius, oro, iuua, gignis quos ipſa dolore,
Obſequioque tibi deuincis, blanda fideli.
Sic precibus fuſis, ingens auditur acernis
Pro foribus ſtrepitus, Tectumque fragore reſultat.
Ianitor accurrit; nullo apparente; caniſtros
Aduertit binos, candenti pane refertos.
Obſtupuere omnes, Cerealia tempore dona
Triſtis egeſtatis, tanta vbertate videri.
Aligerùmque manus alto portaſſe ab Olympo

Oratio Philippi.

Veniente Antonio Coruus duplicat annonam.

Finita oratione Angeli deferunt ad Ianuam Monaſterij duos Caniſtros panis candidiſſimi plenos.

Concla-


p. 138

Conclamant calathos, coctamque dedisse farinam,
Aethereoque focis tostam solertibus igne.
Vt primùm subeunt hilares Triclinia Fratres,
Mensasque obseruant cœlesti farre paratas,
Panibus immiscent lacrymas, gratesque rependunt,
Atque cibos inter Domino Pæana, fauenti
Concelebrant, munusque tenent in mente perenne.

Intereà facti totam pennata per vrbem
Fama ruit, ferturque auidas ad Præsulis aures.
Protinùs hic mente expendens portenta sagaci,
Tota pij vulgat precibus referenda Philippi.
Prodigium tàm grande animi penetralia vulgi
Flectit, & ingrato veterum, quòd gratia factùm
Exciderit, de corde dolet; iustèque labores,
Quos patitur, censet diris meruisse piaclis.
Tùm Pater exhibita, quam captat nomine, laude
Vtitur, vt motam grauiori pondere plebem
Ad citiora sacræ inuitet solamina pacis.
Objicit exitium vrbis ineluctabile bello,
Cuius iam duras probat experientia clades.
Intonat, & Patriæ reliquas in viscera vires
Vertere, triste nefas, nullisque piabile pœnis.
Nobilium mentes in plebem impunè ruentum
Allicit, & valido constringit pectora nodo.
Vrbs illa, & proprios quæ tinxit sanguine muros,
Milleque per rigida oppetijt certamina mortes,
Ocyus ingenti fruitur, pia facta, quiete;
Paulatimque fames, dominanti pace, fugatur.

Res componit & tandem vrbs fruitur pace.

His demùm exactis, animas, & corpora ditat;
Hæc cibat optatis, famis impatientia, ferclis:
Illas inuidia flagrantes, ore diserto
Excitat, inque pias rixarum incendia flammas

Vertit, & insigni nodat præcordia vinclo.
Hæc parui monimenta facit, nisi consulat ardens
Tùm sibi, tùm Fratrum, cura vigilante, saluti.
Indè sibi legit asperioris culmina vitæ,
Cuius ad exemplum, totos componere mores
Instituat, quicumque sacris sub Virginis almæ
Militat auspicijs; putat & Ducis esse, lacertis
Militis immiscere suos, & iungere vires,
Vt Ducis imperium nectatur militis ensi,
Et simul in sæuum certantes, cominùs hostem
Debellare queant, clarosque referre triumphos.

Mira pœnitentia Philippi.

Quos exercebat Sanari in Caute rigores,
Seruat adhùc, nullaque fouet tenera ilia carne.
Gramina latrantem, vel pauca legumina ventrem
Demulcent, quandòque, labet ne robore pectus,
Dilutum multa cum lympha miscet Iacchum.
Exuit hirsuta propè nusquam corpora veste,
Membraque continuis fodiuntur mollia setis.
Nudis incedit pedibus, iuncisque marinis
Calceus intextus numerosa cuspide plantas
Lædit, iterque facit nimia asperitate molestum.
Noctibus assiduo lacerantur terga flagello:
A tenerisque preces, quas semper fuderat annis,
Auget, & ægra nouis affligit corpora pœnis.
Aut procumbit humi, modicũ aut in stramine somnũ
Carpit, & in proprios bacchatur acerbior artus.
Ast licet implicitam infinita negotia mentem
Ordinis in rebus teneant, hominumque saluti
Tota per assiduas tendantur robora curas;
Eximit à nulla vel morbida corpora, lege;
Vndè suis omnes exemplis vrget alumnos,
Ad præstanda pio virtutis munera ritu.

Alli-

Allicit intereà mira dulcedine Fratres,
Diligit atque, satam proprio quasi pectore Prolem.
Respuit haud vllum comis: contingere passim,
Affarique licet. Compellat nomine quemque.
Nam veluti surgens roseo cùm Phæbus Eoo,
Fundit in humentes radiorum spicula terras,
Exilesque fouet fœcundo lumine plantas,
Tàm benè, quàm stantes annoso robore quercus;
Sic nouus æquali Moderator mente Coronam
Dirigit, & minimis impendit munia seruis.
Iustitia vtilibus rectum præponere suadet,
Communesque sequi Leges, iniustaque nunquam
Largiri socijs. Durum Patientia corpus
Instruit, vt nulli cupiat cessisse labori.
Præsertim egregios Tyronibus indere mores
Commonet, vt puram sugant virtutis amorem.
Pendet ab hoc, inquit, studio vel tota iuuentæ,
Mundanas linquentis opes, probitasque, salusque;
Religiosam hæc prima docent elementa quietem,
Ordinis & solidas effert pia cura columnas.
Quæ prima excoluit documenta Nouitius anno,
Sectatur toto vitæ labentis & æuo.
Nouerit innatos naturæ mollis hiatus
Instructor; quis motus agat, quæue aura propulset;
Hæc nisi curarit, custodia cassa fatiscit.
Talia iactabat. Lectos ex omnibus oris
Euehit, & meritum, nunquam cunabula, quærit,
Et qualis, non vndè satus; nam pendet ab vno
Tota vel excidij ratio, vel norma salutis
Multorum. Iubet hinc studijs incumbere sacris
Quemq; vt nempè Deum noscat, cœcumq; popellum
Numina sollicito doceat cœlestia verbo.

Comparatio.

Curat nouitios educari.

Verba Philippi.

Euehit ad officia benemeritos.

Dùm-

Dùmque ſuis mandat, ſtudioſis otia curis
Vincere, & ipſe ſtudet, quæ tangunt munera, rebus.
At prece, nulla ſibi potior, meliorque Magiſtra eſt;
Rebus in ambiguis hanc conſulit, ordine primam.
Diligit hinc homines, hinc normam ſeruat agendi.

Rebus in arduis recurrit ad orationem.

Tendit & occultos Fratrum dignoſcere nutus,
Ex propria cuiuſque exercens indole vires.
Exſtimulat Pubem, nec laſſos obruit armos,
Blanda Senectuti præbet ſolatia, quamuis
Non ſinat ignauam longò torpere veterno.
Diſplicet ille ſibi, nimio qui pectoris æſtu
Externum molitur opus, nec curat in ima
Fundere corda pias, vegeto conamine dotes;
Nam vacuas habet illa domos, & inania Regna,
Cuius ab internis abierunt Numina fibris:
Languet, perque nouos agitur ſine fruge labores;
Nam prece neglecta, torpenti pectora tabe
Mareeſcunt, fractæque luem detergere vires
Tùm nequeunt animæ; medicus ſed ferre medelas
Nititur Ille, modis quos percipit, omnibus aptos.

Tot, tantaſque Domos varijs non condit in oris,
Quin manifeſta Deo per ſigna placere notarit.
Prouida ſedulitas, rebuſque intenta gerendis
Omnia vincit, ali rigido conſueta labore;
Inuiſenſque omnes, quos poſſidet Ordo Penates,
Nulla ſibi ſtatuit, queis fixus, tecta moretur,
Deligit at totas pro ſedibus, Ordinis Aedes;
Scilicet vna ſibi, Tectum commune, Corona eſt.
Indefeſſa ſtruit tranquillam cura quietem;
Augeat & Romana ſuos licet Aula labores,
Occupet & mentem varijs Eccleſia pugnis,
Hoſtis vt incurſus, lingua clamante retundat,

Nullum ſibi eligit Conuentum, vbi de more reſideat.

Nulla

Nulla rapit ſolitas Cœtus obliuio curas.
Omnibus vnus adeſt, vnumque nec vlla fatigant;
Dixeris, intentum multis res vna retentet.
Hinc celeri, rebus ſolitos incumbere zelo
Carpit, & incuſat Diuæ non fidere menti,
Subdere nec Superis magno res impete geſtas,
Haud mora, dùm cupiunt audacia ſoluere cæpta,
Præcipitique vomunt cerebri altos ore vapores.

Infatigabiliter operatur.

Corrigit nimium celeres etiam in bonis operibus motus.

Clara virùm dignis extollit geſta proborum
Laudibus, vt mentes meliora accendat ad auſa.
Arguit & prauorum infanda piacla virorum,
Sic tamen vt zelus, non ira gubernet habenas;
Scilicet vt timido perfundat corda pudore,
Ad grauiumque adigat ſtimulis compendià morum.
Præcipit, vt ſacra Auguſtini Regula ab omni
Ordine ſeruetur, tanquam inuiolabilis almæ
Religionis honos, Pietatis firma columna,
Primus amoris apex, dulciſſima pacis Alumna,
Aurea ſcala poli, veræque Magiſtra ſalutis.
Quandiù & inſignis moderatur fræna Cateruæ,
Illius eximio fulget tutamine fulta;
Otia nulla ſolet molli traducere luxu,
Peruigil eſt, ſeraſque manus non mittit aratro.
Ardua cùmque docet ſanctæ primordia vitæ,
Deſidiæ impatiens, opera inter & aſpera primus
Præbet opem, caroſque præit ſudore Maniplos:
Non curatque humiles Fratrum formare lacertos,
Quin prius ipſe ferat deiectos pectore ſenſus,
Exemplíſque vias, faſtu omni monſtret omiſſo.
Hinc fraterna ſuo configit corda timore,
Atque ſodalitij vnanimem venatur amorem.
Intereà Cœtu Piſtoria in vrbe coacto,

Imperat vt accuratè ſeruetur Diui Auguſtini Regula.

Rebus in omnibus ſemper primus agit.

Philippus erat coram Patribus in Capitulo generali.

Patribus vrgentes Confessus promere causas,
Aggreditur, Regisque canens pia Carmina Psaltæ,
Affatur tali glomeratos voce Sodales.

Psalm. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini.

Fœlices, sine labe viam qui semper euntes,
Sub iusta summi gradiuntur Lege Tonantis:
Non trepidos grauibus religantur nexibus artus;
Sed pretiosa ferunt sacratæ vincula legis,
Nobiliora Deo quæ nectit corda supremo.
Quod lubeat, fateor, magna est optare voluptas,
Omnibus expetitur libertas vna legendi,
Quæ magis apparent humanis consona votis;
At sibi quid certi cupiat, pars maxima nescit,
Indè vocor, reuocorque aliò; modò vellor vtrinque,
Nolo, quod & volui, sibi diffidet ipsa voluntas,
Et vaga per varias incerto tramite partes
Fluctuat, vtque leuis raptatur turbine culmus,
Mobiliorque sali fertur spumantis arena;
Indiget ergò nouis cupidus virtutis, habenis,
Tendat vt ad positas iusto moderamine metas.
Isacidas quondam per inhospita regna vagantes
Clara vias docuit certas, Duce Mose, Columna;
Stella comes monuit Nabathæos lumine Reges,
Paruaque Bethlemiæ perduxit Sedis in antra.

Castor & Pollux.

Quin recreant timidos Fratrum duo Sydera Nautas,
Cùm nempè antè nigræ Cœlum eripuere tenebræ.
Tendimus ad patrios ex hac tellure Penates,
Imus & obscuras tristi sub nocte per vmbras:
Offendunt sine luce pedes ad saxa ruentes,
Præcipitesque abruptis sæpè rotamur abyssis.

Suadet congerere sparsim decreta, & condere librũ Constitutionum Ordinis Seruorum.

Quæ potiora viris, sancti quàm lumina Iussi,
Vt tumidi fugiant horrenda pericula mundi?
Plurima iam prisci vulgarunt Scita Parentes,

Recto-

Rectoresque locis in multis iura dedere
Obseruanda, pijs vt moribus Ordo niteret:
Pontifices sacro varias Diplomate formas
Aequarum struxere suo quoque tempore Legum.
Hactenùs Ordo infans, vt paruulus vbera suxit,
Et numero crescens, multis nunc floret in oris.
Colligere est iam sparsa simul Decreta, vt in vnam
Congeriem coëant, & ab omni Regula Cœtu
Seruetur, prauis velut inuiolabilis ausis.
Hæc vbi iussa, probant sacra Legum oracula Patres,
Hortanturque noua agglomerare Edicta, locutum.

Patres rogant ipsum condere leges.

Indè Philippus in ima Domus penetralia pergens,
Aethereoque suis pro Fratribus vstus amore,
Summe Deus, fatur, duro, qui pollice, Saxo
Imperiosi olim scripsisti carmina Iuris,
Iam mihi scribendas, interno pectore Leges,
Sculpe priùs, fidis quàm prodat Littera Seruis,
Vt tua, non mea mens dictet sacra Iussa Cohorti.
Ni tua Dextra ferat, ruit arbos icta bipenni;
Lex sine te vana est, à te sed culta virescit.
Inueniant, Deus alme, tuas in Codice luces,
Atque pijs flagrent relegentia pectora flammis.
Dixit, & indè preces rogat, & ieiunia Fratrum,
Consulit & claro vberiores dogmate mentes;
Ordinis effusas breuiore volumine Leges
Quatuor in partes tali sic ordine stringit.
Vt Fratres obeant Diuini munera cultus.
Vt rudis ingenuas Pubes incumbat ad artes.
Edocet egregios pietatis corda nitores.
Denique Ius memorat, rectumq; modumq; regendi.
Ordinis his Quadriga rotis volat alta quaternis.
Numina tàm multum Suprema tulere iuuamen,

Oratio Philippi ad Deum antequam cōdat leges & Constitutiones.

Totum opus vt Cœtus inter confecerit orſos.
Obtulit ille ſtatim Patribus, ſi fortè probarint;
Lætitia iam tota Domus, plauſuque fremebat,
Certatimque omnes, vt clarum Numine Moſen
Concelebrant, lætoque cient clamore triumphos.

FR. GERMANI SARDI
MASSILIENSIS
Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis,
Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER IX.

ARGVMENTVM.

Magna Philippeum celebrant miracula nomen.
Pontificis fugiens apices it in abdita montis.
Elicit irriguas ſiccis è rupibus Vndas.
Pracinit vrendas blaſphemis fulmine linguas.
Alpibus Aligeri paſcunt, ducuntq; Vagantem.

Condita ſponte ſacer Decreta receperat Ordo,
Singulaq; ingēti celebrārāt Agmina plauſu:
Fama volat, ſpargitq; pij noua iura Philippi.
Sed quia non patitur latas Eccleſia Leges,
Quin priùs à Petri ſuprema Sede probentur;
Pontificem feſtinus adit, pergitque Viterbum,
Præcipua ſed mente, graues dimittere curas,
Primaque in Crypta rigidos iterare labores.
Hæc animo voluens Piſtoria ab vrbe repentè
Egreditur, iungitque ſibi de more Sodales
Et Lotheringum, Victoremque, Vgguccionumque,
Eximia virtute viros, meritiſque decoros;
Vt Papa ex trinis Rectorem deligat vnum,
Sufficiatque alto dimiſſis Numine Loris.

Summum Pontificem adit vt confirmet Conſtitutiones & accepet ſuam à generalatu demiſſionem.

Vt patula aduentant vrbis Senensis ad arua;
Occurrit squallens & tabe, fameque senex vir,
Per medium qui stratus iter; stipis æra reposcit!
Lepra graui tabo corrumpit lurida lumbos;
Atque volutato sub arena ventre, per ora
Eiectat saniem permistus vulnere sanguis:
Insuper & sæuo dùm frigore Bruma rigescit,
Sub laceris trepidant morientia membra lacernis.
Ille videns hominem nudumque, senemq; inopemque;
Totaque deformi squallentem corpora lepra,
Mox tenero immanem miseratur pectore sortem;
Et cupiens Inopi solamen ferre petenti,
Dissitus à Socijs, tunica sese exuit alba,
Scilicet hirsutas operit quæ tegmine setas;
Porrigit hanc misero, dictisque affatur amicis.
Nulla mihi iam est, quam impertire, pecunia, possim,
Quæ me certa manent, sed enim tibi spontè rependo.
Protinùs & pergens, vestigia prima reflectit;
Disiecta sed inops lacerata veste per agros,
Induit albentem; lepra mox, mirabile dictu!
Squammea vanescit per frusta, cutisque nouata
Candescit vegeto, per singula membra, colore.

Occurrit ipsi leprosus quē sua tunica indutum mundat à lepra.

Argentum & aurum non est mihi quod autem habeo hoc tibi do.

Ille lepra penitùs dùm tersos aspicit artus,
Ilicet insequitur, cursuque citante Philippum
Lætus compellat, magnis & vocibus vrgens,
Siste gradum, Pater alme, inquit, facinusque stupere
Incipe mirandum, pia quod modò Numina pandunt.
Vt primùm assequitur, pedibus prostratus ità infit.
Non modò pauperiem voluisti obnubere nudam,
Sed mea sordenti sic purgas corpora tabo,
Vel nulla vt maneant putris vestigia morbi.
His dictis, figit iam sacris basia plantis,

Lepra sanatus insequitur Philippum & vbique valgat miraculū.

Iam


P. 148.

Iam lachrymis fusam deiectus lambit arenam,
Pro stipe, flammatis mille imprimit oscula labris;
Tandem haud pigra fuit collato gratia dono,
Munificum memori compensat corde Medentem.
Dùmque stupent Socij portenta recentia Patris,
Protinùs ingenuo collucent ora pudore;
Non dare prodigium voluit, sed ferre iuuamen,
Atque inopis solùm nudos vestire lacertos.
Tùm rogat ille Senem, Domino persoluere grates,
Et vetat immodica factum dispergere voce.
At frustrà hic curat lætos compescere motus,
Haud mora, nam Socijs sanatos exhibet artus,
Vt, per munditiem miracula tanta probantem,
Concelebrent omnes diuùm Pæana per Orbes.
Prolata exequitur; per compita namque, per vrbes
Vociferatur vbique sui benefacta Philippi.
Pontificis iam Fama lares, Aulamque penetrat;
Et noua cœlestis procudit Mulciber arma,
Cœtus vt oppugnet contraria vota Philippi,
Iam tractata diù deponere fræna volentis.

Intereà Diuus muros, & Tecta subibat
Pontificis. Meritos indicit Pastor honores,
Prodigijque inquirit opus, quod, Numine dante,
Lepra inopem mundans Senensibus edidit agris.
Occupat ora pudor, subitoque rubore notatus,
Non mihi tantus honos, inquit, tribuatur, ego nil
Noui in me, Superùm valeat quod sacra mouere
Pectora; sola inopis, miri, patientia, doni
Et meruit decus, & maturum Numina ferre
Compulit auxilium. Tùm quænam causa viæ sit,
Absoluit paucis. Vt sacræ sanctio Legis
Firmetur, tandemque graui spolietur honore.

Pontifex rogatPhilippum de miraculo.

Im-

Imperat Ottobonum tùm Pastor adire sagacem.
Rebus hic assiduis incumbens pectore curis,
Pontifici vt placuit, patitur se audire rogantem.
Iamque ferè mediam Cœli Nox humida metam
Contigerat, placida laxabat membra quiete;
Ille iræ impatiens proprios cùm sæuit in artus:
Fingit & in somnis dextram sibi cædere palmam,
Exequitur dùm tale sibi crudelior orsum;
Maiestate grauis, vultusque verenda decore
Fœmina succedit, cæptumque moratur iniquum.
Intereà furit, ima dolor delapsus in ossa,
Somnoque excutitur; gelido cùm membra tremore
Corripitur, puræque rogans mox Virginis almum
Subsidium, tristis non curat somnia noctis.

Iam Sole infuso, iam rebus luce retectis,
Ottoboni, socio Lotheringo, pergit in ædes.
Dùmque iter aggressus, Comiti fera visa recenset;
Obstupet hic animis; oculisque repentè Philippo
Infixis, sistensque gradum, mirabilis, inquit,
Quàm Deus est nostris sapienti numine rebus!
Namque hærebam animo, terrentia prodere visa,
Quæ mihi nunc aperis, votisque Superna vocabam
Auxilia, vt iustis narrarem somnia dictis.
Tota nocte, Pater, duros simulacra labores
Finxerunt, spectrisque animos tenuere pauentes;
Namque tenaci ausu satagebas scindere dextram;
Cùmque repentinus quassos tremor occupat artus,
Ac Superos oro precibus conferre iuuamen,
Significat multo mihi Virgo puerpera nutu,
Si tua deponas non recto munera zelo,
Mox labor æthereas vanescet inanis ad auras,
Ordinis & tenerum cædes feritate lacertum.

Rogat Pontificem vt Ordinis constitutiones confirmet, & patiatur se à Generalatu abdicare.

Ottobon. erat Protector Ordinis.

Somnium Philippi.

Idem somniũ turbat Lotheringum illudque interpretatur.

Per tantæ memoranda, precor, monimenta Parentis,
Per, nobis tot lata, Pater venerande, Trophæa,
Oro, salutiferas ne concitus exue curas;
Dura tuo potius resecetur corde voluntas,
Qua valido contendis Oues dimittere nisu.
Religionis honestus amor præstare quieti
Priuatæ debet; tectas, sat constat, hiantis
Dæmonis insidias sanctos extinguere mores
Velle per obliquos, quibus vrget pectora, gyros.
Cur renuis modicos, pro Cœtu ferre labores,
Qui vis sanguineum pro Cœtu fundere rorem?
Dixit, & vrgenti stimulatus voce Philippus,
Non negat in proprio metas excedere sensu;
Pœnitet, & solitas totis impendere curas
Viribus accelerat, nec linquere fræna retentat;
Sicque sui est victor, deque hoste triumphat Auerno.

Hortatur Philippum vt in officio perseueret.

Dùmque Philippus adhùc, suspensa mente, Viterbi
Ordinis incumbit rebus, pro lege tuenda,
Mors inopina Patris fatalia fila recidit
Clementis; subitumque dolens Ecclesia funus,
Amissum merito lachrymatur iure Parentem:
Qui, sua dùm tantis iactatur Cymba procellis,
Sedulus in placidum studuit deducere portum.
Nec minor hanc sequitur iacturam casus in Orbe;
Dux Aquilonigenùm Phrygijs expirat in armis,
Christiadæque vno flent binas tempore clades.
Cardinei, per crebra infracti iurgia, Patres
Tùm Cœtus cogunt incerta mente frequentes.
Quotidiana fouet flagrantes rixa tumultus;
Personat in Cœtu Regum Suprema potestas;
Purpurea opprimitur Libertas more legendi.
Insolito; plures meritis, & nomine digni

Mors Clementis IV.

Mors Imperatoris.

Multum laborant Cardinales in summi Pontificis electione propter Principum dissidia.

Ad

Ad summos designabantur ab ore Senatus
Murice præclari, Lituos; sed nullus erat, quem
Suspicio Regum, aut minitantis opinio Partis,
Mox non respueret, pro tempore bella ciente.
Ergò vir nulli suspectus, ad alta vehendus
Culmina, concupitur, qui Religionis amore
Aestuet, & vani horrescat consortia mundi.
Talibus insignis splendescit dotibus Heros.
Religioso ardet Diuûm decora omnia zelo.
Auget & eximios diuina scientia plausus;
Et noua collustrant magnam miracula famam,
Purpuream tot clara adigunt insignia Gentem,
Tempora Seruitæ summa redimire Tiara.
Ille ergò, modicæ renuit qui Lora Phalangis,
Inscius in primos Mundi festinat honores.
Gloria tùm placidis complecti nititur vlnis,
Mollia præpetibus cùm diffugit oscula pennis,
Fama ruit, pauidasque Philippi illabitur aures;
Cùm subitò ex imis terror quatit ossa medullis.
Surgit, & aurati spectans orientia Solis
Lumina, torpentes gelida formidine palmas
Sustulit, ac tales effudit ad æthera voces.
Ne sine tanta, Deus, modò me tentare pericla.
Heù! quot in immenso tumidus vorat æquore vortex
Pectora! quot scopulo nautæ periere sub illo!
Sed perijsse semel satis est: peccare fuisset
Ante satis, culpisque tuos armare lacertos.
Excutiatur onus, nigræ nec sarcina noxæ
Opprimat, oro, meam grauiori pondere mentem.
Sit tibi sat, peccata, Deus, punire vetusta,
Nec noua tende, nouas in culpas cudere tela;
Te statuente, premor sacrati munere Iuris;

Philippus proponitur eligendus Pontifex.

Philippus adit Cardinalem Ottobon, rogatque vt totis viribus sui electionem auertat.

Oratio Philippi ad Deum.

Quin



Quin mea, ni præſtes, heù! prompta leuamina, ceruix
Succumbet, tandemque graui ſub mole fatiſcet.
Quæ mea, vt Orbis agat totius pondera, virtus?
Ergò mei, Sponſæque tuæ miſerere labantis;
Tu populis, terræque ſalus, vitæque magiſter;
Conſilium tu verte Virùm, primamque Coronam
In meliora refer, pendenti tempora lance.
Tu requies, tu ſola mei ſis gloria cordis.
Talia cùm fatur, lachrymarum rore madeſcit;
Mox adit Ottobonum ſupplex, atque ore precatur,
Vt tale auertat magnis pro viribus omen.
Ille humiles per longa ſciens commercia ſenſus,
Non ſtupet hunc animis Apices horrere ſupremos;
Conſilio ſed primo hærens, tùm pectore firmo,
Cur, ait, irrequietus agit præcordia motus?
Fida mente, voca ſpirantes Numinis auras;
Qui dextram fulcit Seruorum lora regentem,
Fulciet & plantas, in Petri Sede morantes.
Cùmque vtramque diù iactat diſſenſio mentem,
Horretque Ottoboni plaudentia vota Philippus,
Haud mora, fatidico correptus pectora ab æſtro,
Non ego Clauigeri conſcendam culmina Petri,
Vaticinatus ait; tali cumulabit honore
Te mens Dia breuì; poſthàc ſed ferrea Clotho
Illicò cana tuæ reſcindet ſtamina vitæ.
Dixerat. & tandem præfixo tempore fata
Euenere. Tamen non firma repulſa Philippi
Ottobono ardorem minuit, non auguris inflant
Dicta, quibus cecinit faſtigia ſumma, ſed vrget,
Optatam Socios orſis imponere finem.
Ergò videns Sanctus pulſata labaſcere cæpta,
Accelerat mandare fugæ trepidantia terga.

Ottobonus ſtat firmus pro Philippo eligendo Pontifice.

Philippus Spiritu Prophetico correptus aſſerit Ottobonum fore Pontificẽ ſed breui moriturum.

Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora, dùm nullo subitum aduertente recessum,
Cum socio è Tectis fugit ilicèt, ocyor Euro;

Fugit Philippus ad montē Tuniatum.

Non leuis ambitio, perfusaque gloria fuco
Occupat, inflatis innoxia pectora venis;
Sed fugiens primæ præcelsa cacumina Sedis,
Clarior est ipso primæ splendore Tiaræ;
Seseque exuperans humiles supereminet omnes.
Vt primùm foueas attingit anhelus opacas,
Imperat, vt collega sui Lotheringus habenis
Ordinis inuigilet, secretis donec ab antris
Abscedat; curetque nouas consistere Leges;

Fræna Ordinis committit Lotheringo

Omninòque suas prohibet vulgare latebras.
His ergò exactis, Tuniati montis ad alta
Culmina pergit ouans, velut armis inclytus Heros,
Qui fruitur castris, victoque ex hoste triumphat.
Deuius it per iter, rectà quod ducit ad astra;
Per dumeta vagus, perque auia lustra, meatus
Numinis offendit diuina luce micantes;
Vicinusque polo Regem sic orat Olympi.
Immensas persoluo tibi, Deus optime, grates;
Per mea, quos petij crebrò, suspiria, saltus

Grates agit Deo Philippus in solitudine.

Nam mihi non renuis, laqueos dùm vito paratos;
Iam tibi me totum voueo, manet arcta voluntas;
Quippè mihi satius, Domino seruire perenni,
Quàm mihi millenos mortali subdere mundos,
Tu mihi terra, Deus, mihi tu mare, tu mihi cœlum,
Deniq; cuncta mihi es, sine te, mihi cuncta nihil sunt.
Terge animæ sordes, si quas amor egit honoris,
Cordaque diuino combure cupidinis æstu,
Quidquid & hac patiar rigida sub caute laboris,
Expiet errores, quos mundi suggerit ardor.

Sic

Sic fatur. Ternos Hecatè lustrauerat orbes,
Incolit vt cæcas mærente dolore cauernas.
Sed quoniam ad primos sors blanda vehebat honores,
Excruciat rigidis insontia corpora pœnis:
Quamuis ipse nihil, Cæli miracula præter,
Et mera, contulerit, Natura dante, Talenta.
Vescitur aut herbis, aut rarò panibus atris,
Quos sibi pastor, oues ducens per lustra tenellas,
Porrigit, hosque luit lacrymarum rore frequentum.
Nocte, dieque preces virgarum sanguine tingit:
Lenit amara Deus grata dulcedine lora,
Qua, rapit extrà omnes interdum pectora sensus;
Cùmque immensa suæ pandit fastigia mentis,
Obiectatque humilis fallacia culmina mundi,
Hic tumidos, gaudet constanti pectore fastus
Se spreuisse, Dei solo satiatus amore:
Solaturque animos præsentia crebra Tonantis;
Virginis & Matris, magno qui fœnore spretos
Restituunt apices, carisque amplexibus augent.

Vita Philippi in monte:

Vrgenti demùm decreti tempore Cœtus,
Ad Florentinas quem pridem indixerat ædes,
Et si agitetur adhùc solitis Ecclesia rixis,
Interiore tamen compulsus Numine, Cryptis
Exit ab arcanis, dùm Turbinis aura quieuit,
Nec mutare suam metuit Suffragia sortem.
Ast animo versans, fuerit quàm prospera votis
Terra suis, quæ grata sinu susceperat almo,
Tendit ad astra manus, & Numina sancta precatur,
Innumeras effundat opes, gremiumque Colonis
Immensa pandat fœcundum fruge quotannis.
Percitus æthereo tandem spiramine, culmen
Exigui superat collis; rupemque bacillo,

Philippus baculo elicit fontem à rupe.

In Cœlum ora leuans, vix vno foderat ictu,
Descriptio fontis.
Cùm fumans erumpit aqua, ebullentibus vndis,
Et per lata fluens stillis exilibus arua,
Clara viget, ripaque sitim restinguit amœna.
Post absorbetur patulo Telluris hiatu;
Circitèr & passus sub terris clausa trecentos,
Allambit sulphurque, nitrumque, aliasque fodinas:
Tùm surgit medicis in feruida balnea thermis;
Exultant æstu latices: furit intùs aquæ vis;
Nam sublimè statim rapido sublata refluxu,
Collis in extremas tandem, dilabitur oras.
Vlnis assurgit circùm magno impete ternis,
Et recidens, imis immergitur, vndè scaturit.
Indè per extructos piscinis arte canales,
Deriuantur aquæ, sanæ mortalibus ægris.
Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas, vbi languidus ignis inerrat
Aedibus, & tenuem voluunt hypocausta vaporem?
Cosmæ Medicei Thuscorum insignia Magni
Dona Ducis fulgent, reparatis vndique Thermis,
Antiquisque casis. Hinc balnea sacra Philippi
Vocantur hactenus balnea S. Philippi.
Et vocitantur adhùc, varios sanantia morbos.
Prodigium sed maius erat, deiecta Philippi
Mens, qua nempè Apicem supremi spreuit honoris.
Tùm Florentinas per deuia pergit ad Arces,
Pergit ad comitia Generalia Florentiæ celebranda.
Ne variæ stipata cohors eat obuia plebis.
Multa Virum meritis sustentat fama trophæis;
Ergò accurrebat per vicos turba, per agros,
Plebs ipsum Veneratur.
Infinita sacræ quæ figeret oscula vesti,
Audiretque piæ, velox oracula vocis;
Atque optata, suis caperet solatia morbis.
Cùm primùm aduentat non expectatus in Vrbem,
Maxi-

Maxima in accito produntur gaudia Cœtu.
Non ſecus ac obtecta diù cùm lumina Phæbi
Luna tenet, fuſumque vmbris obuoluit Olympum;
Sol negat officium mundo, & ſe ſubtrahit Orbi,
Condit & ardentes nigra caligine currus,
Terrificatque citis mortalia corda tenebris.
Mox tamen vt crocea, deterſit nubila luce,
Continua attonitas illuſtrat lampade terras,
Et noua torpentem recreat præſentia mundum.
Ordinis omnis erat facies, abſente Philippo,
Cimmerijs gelidi terroris operta tenebris;
Huius opaca ſacros velabant luſtra nitores
Solis, & ignifero nec dùm temone coruſcans
Non poterat puris influxus ſpargere flammis;
Aſt vbi depulſa diuturni nube timoris,
Deſerit occultas cryptarum ſponte latebras,
Ordinis & miſſas, tandem retractat habenas,
Corda nigro ſoluit præſentia ſancta pauore;
Ingentique pios hilarat fulgore Penates.

Aduentus ipſius Fratres hilarat.

Comparatio.

Egit vt adſciti potiora negotia Cœtus,
Protinùs egreſſus, Gallorum vt pergeret oras,
Ordinis & paſſim ſacras inuiſeret ædes.
In vaſtos, quibus eſt vicina Bononia, campos
Peruenit, medium cùm Sol conſcenderet orbem,
Et grauis incumbens ſcopulis arentibus æſtas,
Igne, viatorum toſtos ſudoribus artus
Solueret ardenti; laſſi frondente ſub vlmo
Tùm iubet, vt recubent ſocij, vireſque reſumant.
Non procul hinc palantis adeſt & Militis ordo,
Qui cum proſtibulis miſerabile tranſigit æuum;
Hi præter verbis commercia mixta prophanis,
Peruerſo in Fratres diſtorquent ora cachinno,

Petit Gallias.

In agro Bononienſi inuenit blaſphemos quos corrigit.

Et

Et lacerant dictis, conuiciaque insuper addunt.
Nec satis: in Superos studio bacchantur atroci,
Blasphemasque vomunt Stygio de pectore voces.
Illi insultant maledictis. Ille feras hominum mentesque, iocosque solutos,
Mordacesque sibi tolerat, Socijsque cauillos;
At petulante, suprema Dei dùm voce lacessunt
Numina, & impietate ferit blasphemia Diuos,
In maledicentes versus, sic farier infit.
Vt quid sæua Deum in viuum conuertitis arma?
Linguaque continuis audet proscindere probris?
Heù! non lingua fuit, vestris inserta palatis,
Vt bacchante pium laceretur carmine Numen.
Tota narratur historia. Annè parùm est fœdis ipsum læsisse piaclis?
Cur nigra sacrilegis cumulatis facta loquelis?
Pendite, munificos tribuit quos vsque fauores,
Sæpiùs opprobrijs quamquàm incessistis amaris,
Ignoscet, veniam puro si corde rogatis.
Dixerat. At tigrides vox non mouet alma feroces.
Ille videns maledicta nouis increscere culpis,
Ac iactare minas sæuarum fulmina vocum;
O vtinam, fatur, rabies, qua Numina diris
Ausibus impetitis, mea desæuiret in ossa,
Vtque sacra horrendas purgarem, victima noxas!
Dura repentino nisi corda tremore, domentur,
Præsaga exitium denuncio mente nefandum.
Præcipitate moras; sceleratos soluite nodos;
Ingruit ira Dei, iamque impia sæuit in ossa.
Sic fatus, redit ad Socios; illumque sequuntur,
Quos cijt ad sanum, correctio sacra pudorem.
Spectauit properos Pater, & clamore gemiscens,
Acceleremus, ait, procul hinc; namq; imminet horrens
Excidium vestris, sine more, sodalibus; eccè
Spicu-



P. 168.

Spicula Dextra superna parat, iam fulmina cudit
Ignea, Tartareos vt protinùs atterat armos.
Sed vos, qui turmæ consortia praua petulcæ
Linquitis, & summi spiratis castra Tonantis,
Vos manet altus honos, & præmia multa manebunt,
Dummodò sacra boni subeatis iura Magistri.

Minæ Philippi prædicentis diuinam Vindictam.

Hæc vbi dicta, cohors gannitibus improba acutis
Incessit reduces, & scommate carpit atroci.
At pia non longè distabat ab arbore turba,
Cùm purus sine nube dies, Cœlumque serenum
Mox latet, & nigro glomeratur puluere nimbus:
Lux fugit, & solus crebris micat ignibus æther,
Omne repentino miscetur, murmure cœlum;
Magnus ab æthereo tùm personat Axe tonitrus,
Atque elisa nube, fragore remugit Olympus;
Fulminei extemplò vibrata cuspide teli,
Igne, proterua Manus crepitanti flagrat, & arbos,
In cineres rapidis rediguntur & omnia flammis.

Serenus aer statim immutatur & nubibus obuoluitur.

Fulmine de cælo cadente absumitur arbos cum Blasphemis.

Hanc vbi Vir sanctus vindictam cernit acerbam,
Soluitur in lachrymas, duplicato poplite terram
Cum socia lambit, casum quoque flente Corona.
Fusus humi longùm, terrentes Numinis iras
Expendit, rogitatque suis solamina seruis.
Versus & ad reduces, hortatur, vincula soluant
Errorum, & faciant Sociorum incendia cautos.
Olli semianimes, gemitu, planctuque lacertos
Contundunt, tepidoque luunt sua, rore, piacla;
Quin & vbique Dei recinunt immensa potentis
Robora; magna ferunt miri portenta Philippi;
Vdisque æternùm lacrymis pia lumina manant.

Socij blasphemorum qui ipsum sequuti fuerant stupefacti in meliorem frugem vertuntur.

Aestuat immensis dùm tota Oenotria rixis,
Et ferit Italiam lacero Discordia crine,

Dis-

Fœlicitas regni Philippi III. S. Ludouici filij Francorum Regis.

Diſſidijſque omnes euertit funditùs vrbes;
Inclyta luxuriat fœlici Gallia pace:
Namque Philippus ouans Lodoici filius almi
Legibus inſtituit, rectiſque agit aptus habenis;
Proſpera dùm perflat cæleſtis Numinis aura.
Ille Europæi primus tunc Arbiter Orbis,
Et Clerum, & Monachos ſatagit defendere ſummo
Pondere, Romuleoque Patri deferre cupitum
Protinùs auxilium, dùm ſorte laborat iniqua.
Dextera tùm rerum Series præbebat in oras
Gallorum faciles aditus, tutoſque receſſus.

Elogium ad Ludouicum XIV. Galliæ Regem.

Aurea iam cedunt Auguſti ſæcla Philippi;
Iam noua Liligeræ conſurgit gloria Genti;
Priſcorum ſuperat Ludouicus culmina Regum,
Heroumque ſuis vacuat monimenta triumphis;
Iamque frequens Martis celebres, Victoria palmas
Exhaurit: tot enim cumulat, quot prælia miſcet.
Arbiter & pacis, bellorumque vnicus, altos
Suprà apices graditur Regum, tremor orbis, amorque.
Dic ò Lunigeri Princeps ſæuiſſime Regni,
Francigenùm quoties trepidaueris horrida Martis
Fulmina? dic, quoties bello acris Gallica Virtus,
Barbara Dictæis proſtrauerit agmina Campis?
Pannoniaque truces quot fuderit enſe Phalangas?
Tu quoque fare, nigro ſata Proles Hæreſis Orco,
Liliacus, memora, quas Heros ceperit vrbes,
Et quot oues ſacro collegerit almus Ouili?
Fauſta Petri ò Sedes, ò nullis victa procellis;
O fœlix tanta Genitrix, quæ Prole triumphas
Innumeros hoſtes, hilaris tua pande Trophæa,
Teque refulgentem, tali, profitere Patrono,
Teque triumphantem, hoc Ioſue certante, Parentem

Candia. Hungaria. Hollandia.

Agnoſce

Agnoſce, & priſca officio connecte recenti.
Hìc, quæ condiderat quondā ſacra Tecta Manettus,
Dùm pia Regnorum Ludouicus Sceptra teneret,
Viſit, & explorat cura ſatagente Benizus.
Ergò Philippus, amica vltrò qui mente Philippum
Ad primos Apices præſens efferre Viterbi
Nixus erat, grandi Sanctum reueretur honore.
Et Proceres, vulguſque litant decus omne merenti,
Atque indignanti ſuprema cacumina mundi.
Virginis hìc primùm vocitatur Apoſtolus almæ,
Cuius inexhauſto fouet altos pectore cultus,
Innumeramque parit ſacro conamine Prolem;
Quippè nigra plures ſeptenùm veſte dolorum
Induit, illecebriſque pio ſermone doloſis
Surripit. Vt cœlo demiſſum Numen ab alto
Quiſque veretur, & arctæ inhiat moderamina vitæ.
Aſt vbi firmarit iam ſtructas Ordinis Aedes,
Condideritque nouos induſtria ſancta Penates;
Teutonicas ſubitò indefeſſus tendit ad oras.
Hìc quoque per vicos, ſummo perque oppida plauſu
Excipitur; dat vbique nouos ſpes alma recurſus;
Præbentur varias, ſed enim loca multa, per vrbes,
In quibus & diuerſa ſtruat Tecta Ordinis ampla;
Religioſa tamen mauult ibi condere corda,
Quàm ſtabilire domos, luxuque, opibuſque nitentes.
Nam bona paupertas, inquit, fit diues in omnes,
Sueuit & innumeras hominum ditare Cateruas.
Non opibus mentes Fratrum, curæque leuantur;
Aſt obices, nectuntque moras; & corda relaxant;
Quæque alimenta ſuis præbet Mens prouida ſeruis,
Non comedant tumidi, ſed curent illa mereri.
Quid iuuat ad Cœlum fulgentes tollere Sedes,

Manettus erat vnus ex 7 Ordinis Seruorum fundatoribus.

Philippus Rex comiter excipit S. Philippum.

Philippus vocitatur Virg. matris Apoſtolus.

Germaniam petit.

Verba Philippi.

Quas habitent homines ſtudio virtutis inertes?
Tutiùs eſt paucas in Chriſto condier ædes,
Quàm multas Stygio ſub Dite aſſurgere vanas.

Ioannes ex vrbe francoſurto.

Talia iactabat: Iuuenis cùm murice palla
Fulgenti tectus, iucunda voce ſalutat.
Huic Genus à proauis ingens: clarumque Paternæ
Nomen erat virtutis: & ipſe acerrimus armis;
Et decor, & Pietas, & rara modeſtia frontis,
Illuſtrique pudor cum Sanguine iunxit honorem.
Vtque Philippeis libauerit oſcula palmis,

Verba præfati Ioannis.

Talibus aggreditur. Latuit me aduentus in oras
Haſce tuus, Pater alme; ſacra at Regina pudoris
Virgo Parens, hominem Thuſco de ſemine cretum,
Religioſum atræ cinctum velamine veſtis,
Indicat, & mandat ſtrictis inuiſere iuſſis.
Hic dabit, inquit, honeſta tuæ documenta iuuentæ.
Vt primùm monuit; mens altos Orbis honores,
Illecebras, & opes, & priſcæ inſignia Gentis
Horruit & totis ſpoliari viribus arſit.
Si talis fueris, ſupplex te nomine poſco
Virgineo, quæ nempè modò ad te ſedula mittit,
Suſcipe anhelantem ſacræ præludia vitæ,
Tuque iube, haud mora, continuò præcepta faceſſam.
Dixit; at antè Philippus, ab alma Virgine qui iam
Expoſcit feruente Viros pietate valentes,
Eius vt auſpicijs releuent exordia Cœtus,

Philippus ipſum integit Seruitano cucullo, qui Ioannes multa edidit portenta.

Promptam pendit opem; & diuo ſpiramine fuſus,
Puberis innocuos nigris mox veſtibus armos
Induit. Ille ſacros ſparſit virtutis odores,
Prodigijſque micans, impleuit nomine Faſtos,
Multaque clara ſui Seruis monimenta reliquit.
Plurima Hyperborea Diuus molitur in Arcto,

Quæ

Quæ linguæ ſuperant, humanæ & acumina mentis.
Quot peperit Natos placido ſermone fideles!
Turbida portentis quot ſiſtit pectora miris!
Imperio Chriſti quot Buccina ſacra rebelles
Subdit! de rabido quoties Phlegetonte triumphat!
Miratur iucunda nouos Eccleſia fœtus,
Lætaturque vagos ſub ſigna redire maniplos.
Schiſmaticos, verſa qui in ſanctam cuſpide Matrem
Telorum incurſant, facunda voce retundit;
Ordinis inque ſacrum, mira dulcedine portum,
Fultus Alexandri indulto diplomate plures
Euocat; & multus viget illis finibus Ordo.
Intereà Titan bis Signa recenſet anhelus,
Dùm nempè Auſonios ſtatuit remeare Penates;
Tùmque Pariſiacam velox regreſſus in vrbem,
Rectorem, aſſiduas qui Fratrum tractet habenas,
Conſtituit: Regemque rogat, noua Tecta tueri.
 Cum Socijs vix ille altas ſuperauerat Alpes;
Dùm ſubit horrendam trito ſine tramite ſyluam;
Arbore quæ denſa frondens, ſtat peruia nullis
Solibus: obſcurum conuexis aëra ramis
Cingit, & ingenti foliorum exuberat vmbra.
Illam mordaces complerunt vndique ſentes.
Subter opaca quies, vacuuſque ſilentia ſeruat
Horror, & errantum vox ſtridet ſola ferarum.
Illìc impliciti dudùm, ignarique viarum
Nunc hùc, nunc illùc per deuia luſtra vagantur.
Nulla viatoris tutos ſolertia calles,
Nullaque ſignatos retegunt veſtigia greſſus.
Dùm glomerant varios dubijs anfractibus orbes,
Atque ferunt, referuntq; gradus per inhoſpita circùm,
Defeſſi, ſine more, vijs voluuntur ijſdem;

Philippi geſta in Germania.

Alexander IV.

Philippus cũ 4. Socijs in alpium denſiſſima & cur... ſylua implexus et idoo [illegible] dia conſectus tandem ab angelis ſub Paſtorum ſpecie p...ne & aqua r...ficitur & per monſtratum iter mirabiliter indè eripitur.

Deſcriptio ſyluæ.

Inter & hos flexus brutorum crebra furentum
Turba, feræ intentat propiora pericula mortis.
Tertia lux gelidam Cœlo dimouerat vmbram,
Dùm scopulos, vpresq; specusq; omnemq; pererrant
Vndique circuitum, sed nil nisi spira recursat;
Nec spes vlla datur, cœcos euadere saltus.
  Intereà implacata famesque, sitisque premebant.
Nullus ibi fructus, nec aquæ salientis origo.
Ossa sub incuruis extabant arida lumbis;
Ventris erat pro ventre locus; pendere putares
Pectus, & à spinæ tantummodò crate teneri.
Quisque suo vellet solamen ferre sodali,
Ast animis, solitoque labant sine membra vigore:
Iamque sibi, & pauidæ mètuit discrimina turbæ
Vltima Dux: gelidusque tremor prorepit in ossa.
Hìc duplices, cum voce manus ad sydera tendit:
Deum alloquitur. Omnipotens Genitor, mundi qui cuncta gubernas
Ordine mirifico, tanton' me crimine dignum
Duxisti? & tales voluisti expendere pœnas?
Quò feror? vndè abij? quæ me via, quemue reducet?
Sic ait; ad Socios instanti morte ruentes
Animat socios spe, dictisque egregijs. Tùm venit; & tremefacta vrgens, his pectora dictis,
Subleuat. Immensi suprema Potentia Cœli
Nunc gemebunda tenet grauibus præcordia metis.
Ille potest solus securos ducere gressus,
Qui via Christiadùm, lux, vita, & vera salus est.
Ille quoque in syluis, inter deserta ferarum
Lustra, suam traxit ieiuno corpore vitam.
Qui sequitur tanti vestigia recta Magistri,
Auius haud poterit longis errare salebris.
Præbet & ille pedes, lassosque leuamine fulcit,
Corrigit arentum sinuata volumina crurum;
Dexte-


p. 164

Dextera cæcigenos diuina recludit ocellos.
Macti animis Fratres, dabit & Deus his quoque finem.
Hæc vbi; cùm Socijs onerat pia Numina votis,
Blandaque sollicitæ spes tollit tædia vitæ.
Protinùs humanis resonantia vocibus antra
Responsant, bibulasque fragor defertur ad aures.
Olli vertentes stupefacti lumina circùm,
Conspiciunt Turbam Pastorum, haud indè remotam
Vocibus, & signis vicina ad tecta cientum.
Mox reptant illùc, multoque labore propinquant;
Pauperis & tuguri congestum cespite culmen
Inueniunt, Cererisque dapes ante ora paratas,
Plenaque cæruleis ingentia pocula lymphis,
Sed nullo apparente virùm, qui se antè vocarint.
Tùm referunt grates Domino, solatia danti;
Longaque munificis sedant ieiunia ferclis,
Optataque diù restaurant membra quiete;
Vox noua post resonat: Pastorum prima Caterua
Monstrat iter, moxque æthereas vanescit ad auras.
Aligerùm fuit illa Cohors, ex æthere lapsa,
Talia vt afflictæ conferret munera Turbæ.

Apparitio cœlituum opem præbentium.

Tandem post multos, infractus vbique labores,
Venit ad optatam Sanari montis Eremum.
Ingeminant Fratres solemni gaudia plausu,
Lætitia, sacroque fremit nemus omne tumultu.
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant,
Religionis in hisce plagis, dùm pandit honores,
Atque stupenda canit summi portenta Tonantis:
Quippè homines inter, cùm sit vel humillimus omnes;
Res animi puro retegit candore peractas,
Contulerit quasi nulla pijs industria gestis,
Nempè vt soletur tali sermone Sodales.

Aduentus Philippi recreat in monte Sanario Fratres

Hìc

Florentia illum cum plausu excipit.

Hìc animos postquàm, lassosque refecerat artus,
Ad Florentinam expectatus conuolat Aedem.
Vndique crebrescit redeuntis Patris in vrbem
Aduentus. Proceres, clamosæque obuia Plebis
Turba vias stipant: & honesta compita laude,
Nomineque eximij reboant per inane Philippi.
Plurima tunc vrbes referebant dona propinquæ,
Vt collapsa nouis repararet Tecta columnis,
Et quæ non fuerant erectæ, conderet Aedes.

Primus fuit Philippus qui litteras quas vocant participationis seu filiationis, Benefactoribus ordinis communicauit.

Hìc, benè de Cœtu meritos Diplomate reddit
Primus, participes operumque, precumque, laborumq;
Ordinis insignis, quo gaudent nomine Prolis.
Tùm Pellacana Iuuenis propagine cretus,
Dùm ternum à decimo glomeratis mensibus annum
Compleret, Senas Patri succedit in vrbem,
Virginis & iussis illustria Visa recenset.
Cùm defessa, inquit, somnus per membra quietem
Irrigat, & varias imitantur somnia formas;

Recipit ad ordinem Ioachimum quem Beatum Paulus V. declarauit an. 1609

Virgo mihi, à teneris cui voui pectora cunis,
Imminet, Aligerùm fulgenti cincta Phalange,
Moestaque nigrantis demonstrans, pallia vestis,
Hæc, ait, ò Puber, velamina posce Philippum;
Obsequiumque mihi fidus prætende perenne;
Macte Puer, virtute noua, sic itur ad astra.
Dixerat. Et somno depulso, vestis imago
Pectore sculpta meo, noua iam solatia mentis
Postulat; oro, Pater, seruo largire rogata.
Fatur; & expensis diuturna lance Philippus
Puberis eloquijs, exaudit vota precantis.
Hic Ioachimus erat, celebri qui nomine Senas
Implet; suprema Pauli qui voce Beatus
Promitur, & claros Seruorum tollit honores.

FR. GERMANI SARDI

MASSILIENSIS

Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis, Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER X.

ARGVMENTVM.

Docta Philippus habet Lugduni verba coacto
Concilio; Patresque, Ducesque, fugare rebelles
Sollicitat. Latias ad pacem concitat vrbes.
Sparsa flagellantis conuellit semina Pestis;
Teutonicique domat dictis incendia belli,

TVm nouus optatam satagebat Papa quietem
Instaurare suis pauidi conatibus Orbis,
Sparsaque ciuilis restinguere semina belli;
Sed quoniam fruitur longæua Gallia pace,
Concilium celebri Lugduno cogit in vrbe.
Iamque Philippeas implerat Nuncius aures,
Maturare Patrem Romanum, abitumque parare.
Nec mora, discedit Senis; Vrbique propinquat,
Sedulus vt varijs incumbat in Ordine curis.
Pontificis iussu, ad Cœtum comitatur euntem;
Magnatumque, Ducumque graui stipante caterua,
Excipit, altercans grandi Florentia plausu.
Longa Philippus ibi patriæ dispendia rixæ
Increpat, vt iungat fœlici pectora nexu,

Gregorius X. Lugduni cogit Concilium

Philippus ante Discessum Papæ Romam petit.

Conatur Florent nos placare.

Pon-

Pontificiſque, vigore ſui flammantia zeli
Vota explens, valeat rebus ſuccurrere lapſis.
Eſt tuba, quæ Ierici, reſono clangore ſuperba
Mænia ſternet humi: & rigidi certamina Martis
Vrbe abigens, ſummæ firmabit fœdera Pacis.,,
Concilium ſtupet omne ſacræ modulamina vocis;
Non ignota fuit Latio facundia Patri.

Orat in Concilio Lugdunenſi coram Pontifice Patribus, & Regibus.

Suggerit hìnc, quas dira petunt res tempora fandas.
Talibus, ergò auidas tenet ille leporibus aures.
Nulla poteſt, ò Sancte Pater, depromere lingua,
Quas paſſa eſt, patiturque graues Eccleſia clades.
Excidium, quod ſæuit adhùc, quid voce retexam?
Infandumque, Patres, renouem cur mente dolorem?
At placet & gemitus, iuuat vt ſperare leuamen;
Spes animos auget, ſpes fingat & ora diſerta.
Heù! quot Chriſticolùm Fredricus acerba per orbem

Deſcribit ſtragem hæreticos

Damna tulit! celebres quot vertit funditùs vrbes
Manfredus, fecitque virùm quot ſtragis aceruos!
Heù, crepitant fuſo flagrantia tecta cruore;
Et ſinuoſa rubent tepido torrente fluenta.
Horreo, præcipites dùm mente reuoluo furores.
Cur moror his? reſonat latè plangoribus Orbis;
Noſtis, & hiſtoriæ tenor vltrò corda fatigat.

Hortatur principes Chriſtianos ad vnionem contra hæreticos.

Sed tu, ſumme Parens, vltoris imago Tonantis,
Et vos, ò Reges, ò clara Corona Potentum,
Vos tandem, ò ſacri Diuina potentia Cœtus,
Accelerate: vagas hinc, indè accingite vires,
Agminibuſque Duces validis ſuperate rebelles;
Namque infauſta piùm ſi iam Diſcordia Regum,
Arma infidorum cudit funeſta Tyrannùm,
Sæua quibus miſeris infligunt vulnera membris;
Veſtra quoque æternum ſi nectat pectora fœdus,
Arma

Arma metum inijcient, trepidosque domabitis hostes:
Excutietis onus: Populique leuamen adepti,
Imperijs faciles subdent fœlicibus armos.
Obijciunt turpes Aulæ renitentis abusus;
Tali exemplares prætexunt nomine culpas,
Pinsit & ignauos inimica Ciconia mores.
Ergò abeat luxus, grauium tot causa malorum,
Emicet & solidæ Clerus virtutis imago;
Nam sequitur sacri populus vestigia Cleri,
Vt Plaustrum æthereo fulgens temone Bootes;
Quisque suo solers incumbat Pastor Ouili,
Ne furat inter oues lupus atrox ore cruento;
Ingruit ira Dei Pastoribus, ingruit altis
Sedibus & Regum, populisque minatur acerba,
Custodumque, Gregumque nouas, sine more ruinas
Intentat; purgate luem, sedate furorem
Numinis, horrendæ, fabricantis fulmina pœnæ.
Vos verò, ò Graiæ pugnax Ecclesia Gentis,
Et vos, ò Patriarchæ, almum qui Flamen eodem
Numine profluere ex Patris, Natique negatis;
Ponite discordes longæui Turbinis æstus,
Sensibus errantis tandem resipiscite mentis;
Hæreseos sedenim diræ non, atra venena
Tot strauere Orbem, quot tristia schismata, damnis:
Ergò saluiferis religentur pectora vinclis:
Robora iungantur: renouentur & arma Potentum
Principum, in infidas acuantur adacta Secures,
Infestis Solymas signis vertantur ad arces;
Hìc Regum sedes, hìc sacra insignia Christi:
Hìc erecta diù Vexilla, Crucisque Trophæa
Christiadùm per clara Ducū monimenta, triumphosq.
Hùc, hùc bellipotens inhiet furor, hùc pia tela

Obijciebant hæretici abusus aulæ Romanæ & prauos Cleri mores, quibus facile plebs imbuitur.

Hortatur & Græcos Schismaticos ad vnionem cum Ecclesia Romana.

Contorquete acres pro Christi Nomine Reges;
Obsessis & ab hoste simul succurrite muris;
Vt fiat vnus pastor & vnũ ouile.
Deuinctumque Dei submittite legibus Orbem:
Tunc Grex vnus erit, gradiens Pastore sub vno;
Non altercatus Romano stabit Ouili;
Gramine diuino tutus pascetur eodem;
Delapsisque polo viuis potabitur vndis.
Regnabit tunc vna Fides; tunc vna potestas
Principibus diuisa licet, sub Patre supremo
Indiuisa, reget populos toto orbe fideles;
Fumabunt simili succensa altaria thure.
Tunc omnes vnam poterunt sperare salutem;
Communique via superos ascendere Cœlos.
Dixit; & argutos cuncti obstupuere lepores;
Quisque viri eloquentiam demiratur.
Quippè fluunt ex ore graues, tanto impete voces,
Vt quatiant mentes, quasi ruptus ab æthere fulgor,
Turbida dùm rutilas spargit per nubila flammas,
Vibratisque ictos perstringit lucibus orbes.
Nouerat 7. linguarum idiomata.
Colloquijs, augent septenæ idiomata Linguæ
Nomina, nempè suis præbentia pondera verbis:
Italicam Natura dedit; studiumque Latinam;
Francica, Teutonica, Hebræa, atque Hispanica, Græca,
Dona fuere, Deo reserante vocabula menti.
Dùmque abiens, summo fausta optat Numina Patri,
Orat, vt Ordo suo firmetur nomine, Seruùm.
Concilij decreta noui se spondet obire,
Militiam suadere Crucis, bellumque ciere;
Vt subigant inito Solymas certamine terras
Christicolæ, stabilemque ipsis spirare quietem,
Hæreseosque cutem validis discerpere rostris.
Vt primùm Latiæ redijt Telluris in vrbes,
Inconcussa datæ fidei promissa tuetur;

Conti-

Continuis ſiquidem iactata Bononia rixis,
Diruitur ſæua ſpumantum cæde Colonùm;
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque Domos; effuſi fluminis inſtar,
Sanguis inextincta decurrit ſtrage cadentum.
Melliflua cœcos compeſcit voce furores,
Conſtringitque feras ſub amico fœdere Partes.
Tùm quoque diſſidio violata pace, feroci,
Aeſtuat, hinc percuſſa graui Florentia Summi
Pontificis telo, hinc & aquis turgentibus Arni;
Hanc Pater, effuſas horreſcens fluminis vndas,
Diffidenſque vadis, anathemate linquit adactam,
Horridaque intorquet Ieſſæi ſpicula Vatis,
Qui funda immanem ſtrauit ſtridente, Goliam.
Aſpera ſtringe, Deus, mordacibus ora lupatis,
A te dùm torua, deflectunt pectora mente.
Sic ait. Vrgebat populos antiqua ſimultas,
Parteſque in varias diſtractos iurgia ciues
Longa fouent, vittiſque tenent innexa cruentis;
Inſuper aſſiduo vaſtabant agmine campos
Vicini, ſolitis Mauortis iuribus, hoſtes,
Et diuturna truces accendunt prælia motus.
Alter ab vndecimo iam tùm defluxerat annus,
Cùm manet Vrbs viduata ſuo Paſtore, nec vllus
Eligitur, quin Pars aduerſa recuſet, & obſtet;
Pontifici ſed corda nouo ſubmiſſa Senatus
Præſtat, & à captis in Piſas abſtinet armis.
Tùm demùm patrio compulſus amore Philippus
Hortatur Socios rapidas extinguere tædas.
Cur magis increſcunt animis diſcordibus iræ,
Inquit, & effuſo nondum ſaturata cruore
Sæuities, renouat truciores funere peſtes?

Bononiæ rixæ deſcribuntur à Philippo ſedatæ.

Pro aquarum impetu non poteſt Florentiam pergere.

Pſal. In chamo & freno maxillas eorum conſtringe.

Florentia carebat Præſule à 12. annis.

Philippus tandem adit Florentiam & hortatur ad Pacem.

Heù, Ciues: heù clara meùm ornamenta Penatum!
Heù, Patriæ monumenta modis qui tanta dedistis
Mirificis olim! quæ vos vesana libido
Fascinat, & trepidos voluit caligine sensus?

Proclamant ipsum Episcopum sed fugit ad Pistoriam.

Tandem animos cohibite feros; cohibete frementes;
Vndique quas truculenta mouet Discordia, turbas,
Concordesque simul, Pastoris ritè legendi,
Haud mora, continuò sacris incumbite curis.
Iam furit, & pleno lupus insidiatur Ouili;
Iam stimulante fame, per caulas Prædo vagatur,
Iam vorat, heù! quot oues, dempto Pastore, relictas!
Hæc vbi. Gentis amor, nescit qui pigra morarum
Otia, mox clamans, sacrata stridet in Aede.
Hunc legite effantem; Pastorem ferte Philippum.
Obstupet ille statim; hæret inutilis, arctaque lingua.
Plebs tenet, & voces iterans attollit ad auras.
Hinc tandem elapsus, Pistoria vergit ad arua.

Vrbs erat & varijs rixarum agitata procellis;

Vt Pistoriæ motus compescat vtitur verbis Dauidis. super flumina Babylonis, &c.

Carmine tunc vsus Psaltæ, de more, Dauidis,
Talibus hortatur petulantia pectora dictis.
Dùm procul à Patria, tristes, Babylonis in oris,
Fluminis ad liquidas Euphratis sedimus vndas,
Illa animum subijt species miseranda Sionis:
Atque Soli nunquam natalis tecta videnda
Fleuimus, & gemitus luctantia verba repressit;
Et tacitas vmbrosa lyras tenuère salicta:
Voluite nunc animis, quæ, iurgia sæua per vrbem,

Describit discordiarum excidia.

Perque agros, & vbique vomant incendia: diras
Quot cædes, quot damna ferant, quot corpora letho
Demittant, medio dùm sæuit in agmine Mauors.
Heù, Pater occisæ lacrymatur funera Prolis!
Hostibus immissi Natus secat ora Parentis!

Pupil-

Pupillos, viduasque facit quot barbara strages!
O quot Christiadæ Stygijs voluuntur in vndis,
Ob bellatrices odij implacabilis iras!
Siccine homo, Christi pretioso sanguine lotus,
Cui Deus os sublime dedit, Cœlumque tueri,
Vt fera, serpat humi humano satiata cruore?
Ah Babylon, Babylon, summi non sacra Tonantis,
Sed Phlegetontæi sedes deuota Draconis,
Sanguineo misce tepidas cum flumine guttas,
Terge luem mentis Stygia fuligine sparsæ.
Vt iuga pressere Hebræam Babylonica Gentem,
Ipsa celebrabat Domini Pæana supremi;
Thura dabat, tepidusque cruor fumabat ad aras;
Sola reluctanti blasphemia stridet in vrbe;
Solaque auaritia, ambitioque litamina carpit.
Numinis exaudi vocem, minitantis ab Alto,
O Babylon, te triste nefas, te triste manebit
Supplicium, votisque Deum venerabere seris.
Aligerûm mihi fida Cohors, quæ iussa perenni
Obsequio comples, Babylona euerte superbam,
Nec parcatur ei, quæ vel sibi parcere nescit.

Discordiam placat.

Hic animos plenus diuino Numine sermo
Concutit, èque lupis, mites conuertit in agnos.
Quisque inimica pijs complexus colla lacertis,
Fletibus ora rigat, fœliciaque oscula iungit.
Diuitijs alij spretis solantur egenos,
Confugiuntque Patri deiecta mente Philippo,
Nigrantique orant, obnubi corpora veste.
Hos inter Ghibellinæ Fax ardua Pestis,
Præcipuumque Caput, Gazis spoliatus, & armis,
Nec mora, Seruitæ deposcit tegmina Turbæ,
Et Bonauentura exorat cognomine dici.

Caput discordiæ conuertit induit habitum Seruorû & petit illo nominari. Bonauentura

An-

Philippus sodalitia in illa vrbe instituit pœnitentium, & societatem tertij ordinis.

Annuit Ille, modò concordia brachia collis
Implicet aduersis, & opes certamine partas
Restituat, socijs & sarciat ære ruinas.
Omnibus expletis, rigidus dat nigra Philippus
Pallia Seruorum; fida ille per omnia mente
Gesta, quoque & viuens meruit, gaudere Beati
Nomine. Tunc Cætum sexus vtriusque Philippus
Instituit; rubicunda Viri velamina gestant,
Scilicet ob fusum prisca feritate cruorem;
Tertius hic ordo est Seruorum, digna Propago:
Cuius & ex gremio sancti micuere Sodales.

Innocentius V vult ordinem Seruorum abolere.

Ordinis intereà Seruorum Papa ruinam
Intentat, firmatque ratas anathemate pœnas.
Pontificis monet Ottobonus decreta Philippum,
Queis inhibet, sacris omninò incumbere rebus,
Et iubet vt properus Romanas aduolet Aulas.
Mox subit Ille sacrum Sanari montis acumen;

Philippus petit montem Sanarinum.

Vt pia Virgo suos foueat tutamine Seruos,
Quos sibi delegit, quos vestibus induit atris,
Quos iubet atroces expendere mente dolores,
Quosque sub auspicia & miracula crebra tuetur,

Virgo promisit opem.

Denique quos summo firmarat Numine fultos.
Spondet opem Virgo, suadetque fugare timores:
Tùm leuat afflictos dulci solamine Fratres;
Et tria decernit, propriora pericla ruinæ
Ordinis vt vitet: noctùque diùque vocare
Numina, sollicitis abeant vt nubila votis:
Consulat Ottobonum, sorti medeatur iniquæ:
Seque absente, nouis Lotheringi industria rebus
Inuigilet, referatque ausus liuoris adortos.

His abit exactis; medio sed tramite, mortem
Pontificis mox Fama canit pennata per Orbem.

Otto-

Ottobonus legitur, ſubitas ſed currit ad Vmbras.
Irrita verorum non ſunt præſagia Vatum.
Seruitis gelidos tùm mors inopina tremores
Incutit, & Turbæ caſum minitatur apertum;
Curia namque ſibi ſuſpectos ſpirat odores,
Rerum interque vices multi halant pectore prædas.
Dùmque æger varijs agitatur fluctibus Ordo,
Vim cunctam; atq; minas firmo fert corde Philippus.
Ac veluti annoſam valido cùm robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant; it ſtridor, & altè
Conſternunt terram, concuſſo ſtipite frondes;
Ipſa hæret ſcopulis, & quantùm vertice ad auras
Aethereas, tantùm radice in Tartara tendit:
Haud ſecus aſſiduis hinc, atque hinc vocibus Heros
Tunditur, & magnis agitatur pectora curis,
Mens immota manet; plaudenti Numine cœptum;
Prodigijſque Chorum varijs dùm mente volutat,
Gaudet in immani fortem perſtare labore.
Sicque ſuas ſolatur Oues. Dormitat in imo
Na uigij fundo Chriſtus, Vigileſque Carinæ
Optat habere Duces, dùm perſurit æſtibus æquor.
Ne trepidate, cadent obliqui murmuris auræ.
Collectæ fugient nubes, ſudumque reducent;
Sulcabit pacata volans tunc marmora Puppis.

Pontificem ſpe fultus adit, tùm nempè Ioannem;
Hic fouet optatis amplexibus; indè remittit
Ad ſacrata ſui, iucunda fronte Senatus
Conſilia; eloquijs; & magnæ pondere vocis,
Iudicibus ferit alta piam ſententia mentem.
Tantæ molis erat doctæ facundia linguæ.
Iuſta Illi ſtatuunt ſacri fundamina Cœtus.

Mortuo Innocentio ſuccedit Adrianus V. qui ſtatim moritur vt iã Philippus prædixerat. Tum periclitatur Ordo Seruorum.

Comparatio ex Virgilio.

Philippus fortis in aduerſis

Hortatur ſuos ad conſtantiam.

Ioannes Papa XXI.

Tùm

Tùm Pater Ausonius soluens anathemate, Iura
Pristina restituit, potiori & Numine spondet
Firmare, ac dubios tandem propellere casus.
Sed quia continuis oblatrant ora susurris,
Lymphatoque nouos insigunt carmine clauos;
Immanique strepunt abolendam scommate Turmam,
Sparsa resarciri cupiens commenta Philippus,
Concilium cogit, capiant vt rursus vbique
Iura priora, nouisque ruant mordacia cœptis
Murmura. Tùm Romam pergit, Diplomata Patris
Summa petiturus, stabili pro pace Coronæ.
Cùmque iter aggreditur, labenti fornice Papa
Obruitur, subit & sortem irreparabilis horæ.

Summus Pontifex fornice obruitur.

Clara Vrsinorum Nicolao stirpe creato
Sedis Apostolicæ referunt Suffragia Claues.
Ordinis ille fuit sacri Protector amicus;
Sed nec amicitiæ restinguit Munus honores,
Feruidiore sed vrit amor præcordia flamma.
Vtque Philippeas satis experientia dotes
Nouerat, in cunctis, queis tunc Ecclesia rebus
Vrgetur, cit in auxilium, sociumque laborum
Dat sibi. Tranquilla mox ædibus Ordo quiete
In Latijs fruitur, nec tollit cornua liuor.
Francica at inuidia, & Germanica, fronte minaci
Tota in Tecta furit, morsuque infestat amaro;
Mittit at Ille viros, quorum solertia motus
Compescat, pellatque atro de corde venena.
Sicque suis tunc Ordo bonis, sacrisque potitur
Iuribus, & nullos intorquent ora cauillos.
Iamque Latinus erat Protector, nempè sorore
Pontificis natus, Cætumque ardore fouebat,
Consilioque arctis in rebus stare Philippi

Succedit Nicolaus III.

Summus Pontifex in rebus arduis vtitur consilio, & opera Philippi.

Sedatur inuidia contra ordinem Seruorum.

Cardinalis Latinus Pontificis nepos Protector ordinis Seruorum.

Suetus

Suetus erat, ſolidæque ſequi ſpiramina mentis.
Intereà mærens ſua triſtia facta Rodulphus
Pontificis ſibi poſcit opem, imperioque labanti:
Supplicat horrendo cenſuræ fulmine ſolui:
Tradere mox, Romandiolam, annoſamq; Rauennam
Spondet: Apoſtolicoſq; Viros petit, atq; Philippum,
Stulta flagellantis reprimant qui Dogmata Sectæ,
Componantque acres facunda voce tumultus,
Atque fatiſcentem releuent ſacro ore coronam.

Imperator Rodulphus Romam Venit. Petit abſolui ab Excommunicatione.

Poſtulat & Philippum vt hæreſes, & rixas Germaniæ conuellat & ſedet.

Romulidùm Pater annuit; at cupit antè Philippi
Subſidijs vti, vicinas placet vt oras,
Quas lacero dudùm vexat Diſcordia crine:
Et ſtudeat finem ſæuis imponere bellis;
Feſſa rogarat enim firmam Florentia pacem,
Cuius iniqua feros ſternebat rixa colonos:
Legatum mox ore creat pollente Latinum,
Ac iubet, vt fuſus diuina luce Philippus
Conſociet, iuuet atque ſuis molimina cœptis.
Ergò Latinus abit, placidæque Bononia pacis
Fœdera prima capit, mentes moderante Philippo,
Quem penes arbitrium, & ius eſt, & norma loquendi;
Præcipuos vtriuſque viros in compita, Partis
Cogit, & amplexu concordis vincit amoris.
Mira Philippus agit teneris commercia curis,
Dùm trahit ad ſocias diſcordia pectora leges.
Tùm Legatus habet ſupremi pondera iuris;
Arcta triumphatùm tenet Ille at corda virorum;
Sed tamen huic tribuit geſtarum culmina rerum.

Agit cum Latino Philippus & primo placatur Bononia.

Lambertus & Hieronymus erant, duo capita factionum.

Hinc Florentinas tendit Legatus ad arces.
Vrbs grauibus proſtrata malis, ſacra pacis anhelat
Pacta, ſed oblatas Legeſque, modoſque recuſans,
Nunc hùc, nunc illùc incerto fluctuat æſtu,

Pergunt Florentiam.

Diuersæque vocant animum in contraria curæ;
Nam Proceres vico, Legato astante, coacti,
Dissidioque hinc, indè incensi, voce lacessunt
Inuicèm, & ad pugnam cita corda parantur acerbam;
Districtos iubet Ille repentè recondier enses,
Atque opus infectum linquit, suadente Philippo.

Reflexio politica.

Non sapit ille, modis qui tentat inanibus hostem
Vincere, dùm rabies armat fera corda furore:
Rumpere quippè moras stultū est, cùm tempus agit res.

Quatuor menses.

Luna quater latuit, toto quater orbe recreuit,
Cùm pius ille Pater mentes lenire feroces
Nititur. Vt victor spolijs oneratus opimis,

Comparatio.

Dùm cupit indomitas ditioni subdere Gentes,
Vrget paulatim: nunc has, nunc edomat illas
Vrbes agminibus, tandem sibi subijcit omnes.
Sic Florentinam Domitor sibi subiugat vrbem.
Nunc hanc degustat, nunc illam indagine, Partem;
Hos ratione premit, mox illos turbine vocis
Concutit, horrendas minitantis, Numinis iras.
Quis vibrata potest Herois ludere tela?
Ille fide valet ad Populos, & Nomine fulget;
Pectore pro Patria flammatum spirat amorem:
Quidquid & aggreditur cœlesti nititur aura.
Hæc tria, magna suis innectunt pondera Cœptis.
  Tosingos ergò, Adimaresque inuadit atrocis
Fautores rixæ. Clades, incendia, Cœdes
Exprobrat; & larium casus, vrbisque ruinas

Florentiæ rixæ tandem sedantur.

Præsagit, constante Duces ni iurgia pace
Sæua repellentes, citò captent colla lacertis.
His igitur tandem concordi fœdere iunctis,
Nobiliora tenent animos exempla sequaces.
Obstrepit, vt sueuit, tùm nullus in vrbe tumultus;
Pecto-

Pectore ſtant hilari Ciues; inſignia vicis
Nulla erecta vigent, vltrò plebs tota quieſcit:
Dixeris &, rixis nunquam ſæuiſſe nefandis.
Nobilioris & Ille viros tunc ordinis ore
Hortatur ſuaui, ad ſacrum virtutis amorem,
Et Patriæ decus, & Priſcæ Propaginis alta
Culmina; mox Ciues, vilis minimoſque popelli
Amplexatur ouans: atrocis crimina belli
Obijcit: intermiſſa diù commercia in vrbe
Commemorat; fremit indignans tùm pectore vulgus,
Fletuque ingenti Cœlum, gemituque remugit.
Quæ fuit inſidijs ſpumantum vrbs ſylua ferarum,
Nunc hominum fit tuta domus, fiduſque receſſus.
Mox Ghibellini optatam reuocantur in vrbem,
Amiſſas ad opes. Fraterno more ſodales
Tùm ſibi conueniunt, feſtoſque parant hymenæos,
Vt priùs infenſæ concordi pectore mentes
Iungantur, fauſtoſque dies per fœdera ducant.
Obſidibuſque vtrinque datis, Legatus in vnum
Cuiuſcumque iubet litis coaleſcere aceruum
Inſtrumenta, citis abolerique omnia flammis
Imperat: & mulctas violanti iura ſupremas
Irrogat; alternas vult omnia munera Partes
Exercere, Philippo artes ſpirante ſalubres.

Lætatur ouãs Florentia pace iamdiu expectata.

Scripta, ſeù Inſtrumenta diſcordiarum comburuntur.

Quæ gerit, humanæ haud ſapiunt molimina mentis;
Vt vir Apoſtolicus, cœleſti Numine fretus
Allicit ad ſanctos fluitantia pectora mores.
O quot ſydereis innectit retibus ore
Corda pio! fatui quot ſoluunt vincula mundi,
Religionis & arcta volant ad Clauſtra ſeueræ!
Vbaldus ſed præda ſui micat inclyta zeli.
Hic erat Adimarum clara de gente oriundus,

Multi ad Religionem confugiunt.

Vbaldus præcipuus fautor rixarum recipitur in ordinẽ Seruorum.

Dotibus egregius, vir bello insignis, & armis,
Quique per omne nitet gestis spectabilis æuum.
Eius sanctitas probatur miraculis. Non modò fatale est, vrbes sedare Philippo,
Et superare Caput, quo bella oriuntur acerba,
Sed Caput ad sacros captiuum ducere Cœtus.
Vbaldus siquidem Seruorum obnubitur atris
Vestibus, & tanto micuit virtutis honore,
Dignus vt eximij fuerit Collega Philippi.
Hic vbi Sanari viuit memorabilis antris,
Atque ibi longæuos colit arua ligone per annos,
Impauidæ fidunt volucres capitique, lacertisque,
Et volitant circùm, gaudent & ludere pennis.
Cùm gelidas hauriret aquas in Fonte Philippi,
Frangitur incautè manibus, quam prætulit, vrna;
Miraculum Vbaldi. Angitur, vt Socios videt expectare liquorem;
Tùm liquidis stratum lymphis impleuit amictum,
Consocijsque tulit, nec guttula decidit vna.
Talis erat Soboles, peperit quam voce Philippus.
His faustè exactis, præbet promissa supremus
Poscenti Pastor solamina sponte Rodulpho;
Datque Philippum, ortas solito conamine rixas
Dissipet Imperij, Hæreseosque euellat atrocis
Semina, Teutonicas dudùm resparsa per oras.
Rigente hyeme Philippus pergit ad Germaniam. Hic sibi non parcens, animas dùm quærit inertes,
Desertasque manus inter Plutonis aduncas,
It, cùm tristis hyems Aquilonis inhorruit alis,
Bruma nec ardentes trudit rigidissima flammas.
Causa Schismatis & discordiarum. Impietate Duces, multos rexere per annos
Imperium; indè furunt duri ceruice popelli;
Schisma animos fingit, rerum nouitate rebelles;
Sedis Apostolicæ iuga plebs, odiosa recenset;
Hæresis atra lues, squallentis & halitus Orci,
Schisma-



P. 180

Schiſmatis orſa fouet, rapidi Torrentis & inſtar
Luxuriatur ouans, totas diffuſa per vrbes.
Ipſe Rodulphus erat crimenque, caputque malorum;
Afflat amor Sobolis truculenti incendia belli,
Atque alit ambitio varias temeraria Partes;
Quin periurus opem Solymæ negat, omne ferenti
Pondus, & hoſtilis dudùm tentamina ferri.
Heù violata fides! anſam quàm ſtragis iniquam
Præbet, vbi vis magna trucis non tunditur hoſtis!
Hinc per Hyperboreas inſurgunt iurgia Terras,
Horribileſque ciet Mars impius vndique pugnas.
Inque ſuam imperium cernens properare ruinam,
Quærit opem, vt valeat vires fulcire cadentes:
Et ſæua Impietas, & oborta rebellio tandem
Diſpereant, præbente nouum ſibi Numine robur,
Cuius ferre Crucem, pro ſceptro cæpit in armis.
Vt primùm aduentat regalia Tecta Philippus;
Tota Rodulphus ei, cuius commercia ſacro
Concilio longæua habuit, mox viſcera pandit;
Irruit in collum, meritoſque rependit honores.
Nunc, ait, ò, te poſco Ducem, ſociumque laborum
Militiæ, qui quaſſa mei faſtigia Regni
Suſtineas; patrios age pugnaturus in hoſtes,
Quos puto victuram mentem, quæ neſcia vinci.
Militis, Ille inquit, minimas vix impleo partes;
Aſt Acherontæi qui regna ſubegit Auerni,
Cuius & aggredimur læſum defendere Numen,
Subſidium dabit omne, feros & deprimet armos.
Hæc pauca effatus. Releuat fiducia mentem.
Cæpit Apoſtolicum per vota ardentia munus;
Vt Deus in medio firmas certamine, vires
Conferat, & fidei det lumina ſumma, tuenti,

Ambitio qua æſtuabat Rodulphus pro numeroſa prole fuit cauſa belli.

Rodulphus non tulerat opem Hieroſolymis ſicut tenebatur.

Philippus Sūmis honoribus excipitur à Rodulpho.

Iam

Iam vocat ad ſacros vehementi hortamine mores,
Criminis vt turpes abigat vel imaginis vmbras.
Effugiunt multi fœdæ contagia culpæ,
Zelus Philippi. Pectoreque ætherei ſcintillat feruor amoris.
Non Ducis arma valent, quantū ignea verba Philippi.
Ille cruentato perfundit corpora rore;
Elicit hic tēpidas errantum ex pectore guttas;
Ille homines ſuperat ſtricto mucrone, rebelles;
Stylus Philippi in orando. Hic domitat blando peccantum corda lepore.
Tunc ergò Hæreſeos feritas, populique furentis
Mens agitata fremit, terrentis fulmine vocis.
Simplicis arte ſtyli cantus modulatur acutos:
Verba colorato non promit candida fuco:
Purus, in arcani retegendo dogmate veri,
Inclyta non ambit cæci præconia vulgi,
Sed vibrat ardentes concuſſa ad pectora flammas,
Curat & in ſummos Diuùm deducere cultus.
Nec vitio parcit; nigris ſimulacra figuris
Criminis obiectat, validoque exterminat ore.
Impia iam Regio ſanctos aboleuerat vſus;
Deſcriptio vitiorum quæ inoleuerant in Germania. Nobilis in varias pubes diſcrimine partes
Continuò motus diuiſa fouebat iniquos.
Quin & Apoſtolica irridens Anathemata Clerus,
Inv aſto errorum demerſam gurgite mentem
Voluit, & infandam ducit torpedine vitam.
Quid loquar indomitæ ſcelerata piacula plebis,
Nulla fides quam nempè regit, quam nulla poteſtas
Cogit ad impoſitas rigido ſub limite Leges?
Heù! quot lethiferis temerat præcordia noxis!
Quot Stygijs animas vorat ater faucibus Orcus!
Quot ſtrages, quot damna tulit, quot tela retorſit!
Qualis ab Aeolijs Aquilo dūm perſurit antris,

Diri-

Diripit aduerſo maturas turbine fruges,
Depopulatur agros, flauaſque exſcindit ariſtas;
Talis erat populus, cui longa rebellio pennas
Addiderat volucres, ad crimina quæque parato;
Omnia ſacrilego violat certamine iura;
Exſpoliat veneranda fero molimine Templa;
Ad prædas inhians pedibus circumuolat vncis;
Agglomerat pauidas incendia ſæua per vrbes;
Debacchatur ouans, nulliſque arctatur habenis;
In mala cuncta ruit, dùm cuncta impunè retentat.

Comparatio.

Ille tamen ſepſit prauas indagine Gentes
Eloquij ſacra, Fideique irretijt hamo;
Atque Flagellantes binum intrà ſubdidit annum.
Autumat horriſonis inſana hæc Secta flagellis,
Vel ſpatio vnius plectendo corpora menſis,
Iam potuiſſe ſuam penitus complere ſalutem,
Perfectique ſtatus ſummas attingere metas:
Atque Dei fruſtrà ſacras exponere Leges:
Alterutrumque ſibi ſatis eſſe errata fateri:
Ad veniam, Chriſti nullis & egere Miniſtris.

Deſcribitur Hæreſis Flagellantium.

Carpit at Ille modos firmo ſermone proteruos.
Ah, Fratres, inquit, quæ vos dementia adegit?
Siccinè ſupremi laceratis Numinis alta
Iura, nec igniuomæ conquaſſant pectoris iræ?
Martyrium, veſtros quo iam ſæuitis in artus;
Prodijt à Stygia verſuti Dæmonis arte,
Et mera Tartarei, haud fallor, Phlegetontis imago eſt.
Corpora quid prodeſt grauibus diſcerpere virgis,
Corda niſi tanto domitentur trita labore?
Quid iuuat illa pati, dùm vana ſuperbia mentis
Turget, & ingenti ſtridet veſania faſtu?
Saucia continuus demergat corpora ſanguis;

Philippus cō̃uincit Flagellantium deliria.

De-

Defluat & laceris, velut ingens artubus amnis,
In Cruce ni ſparſo foueantur corda cruore,
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in pectore vires:
Nec tetro (vt fertis) Manes reuocabit Auerno,
Nec minuet iuges vllo ſolamine pænas.
Impia, quam calidis inijſtis ſecta cerebris,
Iuſſibus heù! Chriſti, ſacroque repugnat amori;
Quis neget, inſana quin fingat ſomnia mente?
Nonnè æterna pijs deſpondet fœdera Alumnis,
Seque Ducem, Comitemque ſuo fore ſemper Ouili?
Dat monimenta ſuis, & pignora plurima ſeruis;
In verum, moriens ferclum dat corpus edendum,
7. Sacramenta. Septeniſque rigat, profuſo ſanguine, riuis.
Hanc toto ſacra Verba Fidem tutantur in Orbe,
Hæc diuina datæ firmant oracula Legis;
His ſine, Chriſtiadùm fidæ primordia Gentis
Sancta ruunt: quin nulla Fides, pietaſque, ſaluſque
Stare queunt, abeant niſi claris turbida dictis
Nubila, luxque imas penetret Cæli alma medullas.
Comparatio. Qualis ager, pluuijs quem non rigat imbribus Auſter,
Effætus marcet, caſſoque labore Colonus
Tellurem curat crebro mollire bidente;
Arebunt herbæ, & victum ſeges ægra negabit,
Non grauidæ carpet iucundos meſſis honores,
Nec ſua triticeis turgeſcent horrea granis.
Sic humana ſacri, quæ non cœleſtibus, oris,
Mens roratur aquis, torpore putreſcit inerti:
Non ſurgunt nitidæ virtutis ſemine fruges:
Horrea vix ingens operum cumulabit aceruus.
Vox Diuina vias excelſa recludit ad Aſtra,
Qua ſine, pandetur facilis deſcenſus Auerni;
Hinc reuocare gradum, nullo conceditur æuo.

Pendi-

Pendite nunc animis miseræ stipendia sortis,
Soluite corde metum, tristes & ponite curas.
Hæc ait; & multus vacuas singultus ad auras
Fertur, & assiduo roduntur pectora verme;
Lux micat, & lentas expellit corde tenebras;
Namque animos cernens, moesto trepidare tumultu,
Percellique graui diuini Flaminis ictu,
Ingeminat primum virtutis robore zelum,
Immiscensque pijs lachrymas, & vota querelis,
Sauciat æthereis titubantia corda sagittis.
Aureus & binos vix Orbes voluit Apollo,
Dum Iubari summo Germanica Regna Philippus
Subdidit, & sacræ constrinxit fœdere pacis.
Cæsaris Imperio tandem vesana, supremo
Pectora submisit, populumque subegit acerbum;
Et quassa, Austriacæ, fulsit diademata Stirpis.
Non tamen Illa fuit tantorum oblita laborum:
Nam Seruitanus retrò post sæcula Coetus
Summa perennis habet passim monumenta fauoris.
Austriacis renitent extructæ sumptibus Aedes:
Et sacra munificis onerantur Limina donis:
Et pia multiplici cumulantur munere Tecta.
Eius ope, in Fastis celebratur fama Philippi,
Cæloque asseritur, Leopoldo vrgente, Beatus.

Discursus Philippi mouet, & mutat animos.

Philippus intra duos annos & hæresimextirpauit & populos Germaniæ conuertit & Rodulphi Imperio subiecit

Beneficentia Domus Austriacæ in ordinem Seruorum.

Flagitante Leopoldo I. Imperatore Philippus SS. Fastis relatus est.

FR. GERMANI SARDI

MASSILIENSIS

Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis, Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER XI.

ARGVMENTVM.

Rixa Foroliui placatur voce Philippi.
Corda Flagellantum patienti vincit amore.
Morte vrgēte, Ducē legit ordinis. Instat vt arcta
Regula seruetur. Niuea ferit Agmina Turma.
More triumphali recipit Plebs læta Tuderti.

CVmq; Philippus adhùc Germanis pugnat in oris
Diuiniq; truces debellat Numinis hostes,
Nuncia Teutonicas bacchatur Fama per vrbes
Heù! clausisse dies Nicolaum morte supremos,
Religione virum, quo non præstantior alter.
Tunc inopina Patrem compellunt cogere fata
Concilium, ad positum Cimino sub monte Viterbum,
Ordinis vt valeat dubijs succurrere rebus;
Sed primùm, vt summo Martini numine firmet,
Religioque diù sæuis agitata procellis
Inuidiæ, queat optata gaudere quiete;
Longæuosque vocat Sostenem, Vguccionumque,
Vt quorum tot in Orbe sacras industria sedes
Condidit, & doceat longa experientia firmas

Nicolaus Papa III. moritur.

Philippus celebrat Viterbi generalia comitia. Martini IV.

Isti duo viri erant ex 7. fūdatoribus ordinis Seruorum.

Esse,

Eſſe, ſub auſpicijs ſupremæ Virginis almis,
Eius & auxilijs primæuo ſtare vigore.
Tres probitate viri, morumque nitore coruſci,
Et Bonauentura, & Lotheringus, & ipſe Philippus
Legantur, valeant qui tantum munus obire.
Illicò vterque volat, rebus, Patriarcha, peractis
Ordinis, ad ſacrum Sanari Montis acumen,
Vt pretioſa trahant breuium momenta dierum,
Inque loco, placidam licuit quo ducere vitam,
Maturo liceat quoque claudere lumina Letho.

Luſtra decem Phaëtontis equi iam luce vehebant;
Vt Seruitanus iecit fundamina Cœtus;
Illi ergò propiora graui dùm mente reuoluunt
Funera, ſtantque Deo grauiori pectoris æſtu,
Et citiore Poli tendunt ad præmia greſſu,
O Deus! heù! caros da, fantur, in axe Sodales
Conſpicere, & collum ſtrictis captare lacertis,
Vt iungamur ijs, ſocios quos vna ligarat
Vita ſub obſequijs diuinæ Matris honeſtis!
Hæc vbi cœleſtes vibrarunt dicta per oras,
Protinus à rutila vox intonat auribus æthra.
Iam ceſſate, Viri, moeſtos ad Numina queſtus;
Illa explere ſinent celeri pia vota quiete,
Ac ſtellante dabunt virides in vertice palmas.
Exhilarant animos cœleſtia verba, precantum,
Et rapiunt extrà ſopitos corpora ſenſus,
Membra repentino ſiquidem torpentia ſomno
Ambo animas efflant, & eodem tempore ad Auras.

Nec mora, portentoſa mouent ſimulacra Philippum
Cùm Florentinas rediens intrauerit Aedes.
Lilia bina videt, rigida de caute reuulſa,
Aetherio quæ blanda manus tranſducit Olympo,

Tunc Ordo Seruorum à 50. annis exordium ſumpſerat.

Aſpiratio ad cœlos.

Audiunt vocem cœleſtem quæ ipſos recreat, eodemque temporis momẽto vterque ad cœlos euolat.

Viſa Philippi quæque ſuis prodit.

Quæque tenet palmis, gremioque puerpera Virgō
Materno gestat, superisque reponit in aris.
Postera cùm primo stellas Oriente fugarat
Clara dies; Socios in Cœtum limine ab omni
Aduocat, vt prodat nocturna sibi ordine visa;
Talibus & recreat Vates præcordia dictis.
Macti animis, Fratres, hilarique expendite mente
Gaudia longa, quibus summa potiuntur in Aula,
Primæui, qui nuper ab his migrare Satores
Sedibus, & Sanari adiere cacumina montis.
Vos manet altus honos, eadem mercesque manebit
Inclyta, si legitis simili vestigia passu.
Non minus istorum fragilis natura Parentum,
Quàm sit nostra, fuit, Diuo sed lumine fusi
Monstrauere viam, tutos & ad astra meatus,
Quos domuere sacro motus solamine fulti,
Hos quoque fulta Deo poterit frænare Propago;
Arma ministrabunt alti de cardine Cœli,
Præbebuntque acres medio certamine vires.
Ardua iam nobis reserarunt ostia Cœtus;
Cur & sydereæ non pandent limina sedis?
Talibus hortatur timidos, & firmat Alumnos.
Iam Seruorum Ordo stabat diplomate firmus
Romulei Rectoris, opem rogitante Philippo;
Cùm noua discordis consurgit causa tumultus:
Namque Foroliui pars magna extinguere iura
Romulidùm Patris, multas contendit & vrbes
Conciliare sibi, inque suas adducere partes,
Vt iuga lata simul nisu excutiantur eodem.
Protinus Ille Virum, pacis qui sæpe rebelles
Lege coarctarat, titubantem mittit in vrbem;
Diffidij qui prima suis exordia dictis

Hortatus socios primos vt imitentur Patriarchas.

Rixa Ciuitatis Foroliuij.

Summus Pontifex mittit Philippum vt hortetur vrbem ad obedientiam.

Diruat,

Diruat, & placidis connectat pectora nodis.
Hic animos curat blando sermone feroces
Allicere, imperioque Patris vincire supremi.
Sed cùm dira videt molli præcordia voce
In cœpti, asperiore mali durescere callo,
Terrificis implet rigidas sermonibus aures;
Vltricesque docet feruescere Numinis iras.

Iam super astra, infit, minitantia sceptra Tonantis
Ignifero splendore micant, vibrantque per auras
In caput indomitæ Lethalia spicula plebis.
Heù! fremite, & calidis soluantur lumina guttis.
Nonnè animas satis est nigro tinxisse veneno,
Cur iuuat & populos simili temerare propinquos
Peste, & plura vno cultro rescindere colla?
Non pudet & Ducibus tantis, magnique Rodulphi
Nutibus obstare, atque salubria rumpere pacta?
Quæ spes vana inflat duri penetralia cordis?
Percutit horrendo iam summus fulmine Pastor.
Quæ vos, quæ à recto vesania tramite vertit?
Sufficiuntne leues ad robora tanta lacerti
Concutienda? acres tandem compescite sensus;
Est sapientis enim modicas expendere vires,
Legitimoque iugo petulantia subdere colla.
Si iuuat intrepidas fræno subducere mentes;
Pondus inexhaustum, seriesque immensa laborum
Imminet haud dubiè effrænis ceruicibus, vltrix;
Effoeti arescent submotis imbribus agri;
Omnia deficient; mortali tabe labantes
Languescent homines; ruet acri inimica Phalanx vi;
Prædia, vosque malis sine more retundet acutis.
Impia deijciet Proles à sede Parentes;
Vndique sæua domosque, vrbesque, Caterua latronum
Cin-

Oratio quam habet Philippus ad rebelles.

Rodulphus Imperator Iā Romandiolā Summo Pontifici cesserat.

Excidii descriptio.

Cinget, opesque graui curarum pondere partas
Corde inhians auido subitus prædabitur hostis.
Idque parum; mala post tanta, implacabilis ossa
Torquebit rabies, ferietque cruenta medullas.
Sed quid habet pœna ista feris æquale Acherontis
Supplicijs, quibus addicunt terrentia verba
Pastoris Summi, Clauis qui seruat Olympi?

Intentat vrbis exitium.

Exuit heù Mater titulis Ecclesia honestis,
Quos studiosa solet caræ concedere Proli!
Vos truculentus herus Stygiæ Dominator Abyssi,
Vos tenet euinctos crudeli compede seruos;
Hæc sunt excutienda iuga intractabilis hostis.
Este animi fortes, non desperata salus est,
Nec trepidate minas, dùm verbera nulla sequantur;
Ergò agite, accelerate, vijsque insistite tutis;
Nullus oui pudor est, proprium dùm quærit ouile;
Iussa explete Ducis, vestros venantis amores.

Talia tunc animos percellunt dicta superbos.
Pars validis cædunt tædentia pectora pugnis;
Luctus acerbus adest, gemitu Cœlum omne remugit.
Pars alia indignata Patri, sacra iura tuenti,
Allatrat horrisonos infesto corde susurros;
Quin Procerum multi, diuas stridente per aras
Voce ruunt; alapis, lorisque per ora, per artus,
Dirisque affectum probris à moenibus arcent.

Pars vrbis placatur.

Pars altera sæuit in Philippum.

Infremit vrbs, moestosque trahens è pectore questus,
Seditione nequisse dolet, cohibere subortos
Insultus, animique truces frænare tumultus.
Ille viam pergens infracta mente per agros
Constitit, & rogitans, curuato poplite Numen;
Quæ scelerum facies, inquit, quæ insania toruos
Incestat vultus, & pectora comprimit ægra?

Conuersio Peregrini qui ipsum percusserat, quæque oritur ex precibus Philippi.

Hæc

Hæc animo, Deus alme, tuli conſtante flagella;
Si modò ſæua piant, commiſſi probra reatus;
Nam reputanda mihi gratum eſt iniuria donum,
Impia ſi nullis plectantur crimina pœnis.
O vtinam quæ ſacra tuo iam Numine fretus
Verba dedi, pariant imis incendia fibris,
Ne, dùm, Chriſte, tuum placido dignaris amore
Seruum, hoſtes pereant Romani turbine Patris!

Vota premunt, Cœloq; preces Deus audit ab alto;
Namque Peregrinus Latioſa ex ſtirpe oriundus,
Primas qui partes tunc illius vrbis agebat,
Quique Viro innocuo colaphos impingere atroces
Auſus erat, ſubito perculſus corda dolore
Fletibus ora rigat, tepidiſque piacula riuis
Abluit, & Dios ſatagit placare furores.
Hic erat obſequijs diuturno tempore Matris
Virginis addictus, iuuenum ſed praua malorum
Fædarant vltrò docilem conſortia mentem.
Multa ergò educens imo ſuſpiria corde,
Sè coram Summæ proſternit Imagine Matris,
Orat iter monſtrare ſibi, quod ducit ad aſtra,
Vt mundi laqueos, fugiatque Acherontis abyſſos.
Virgo coruſcanti obiectans ſe tegmine cinctam,
Imperat, ad fidos confeſtim accedere Seruos;
Migrantique ex vrbe occurrit fortè Philippus.
Mox vtriuſque notat roſeo pudor ora colore.
Ingemit ille Patris faciem temeraſſe verendam;
Obſtupet hic Iuuenem culpa reſipiſſe proterua,
Tamque citò furias mentis poſuiſſe nefandas:
Nam genibus flexis allambit pronus arenam,
Hiſque Philippeas vrget ſermonibus aures.

Heù! Pater alme, parùm eſt, me me turpaſſe decorā

San-

Verba Peregrini ad Philippum.

Sanguinis antiqui ſquallenti crimine ſortem?
Numina ſacrilego violaui more, Tonantis:
Infandiſque ipſas inuadens auſibus aras,
Horrida graſſantis reſperſi ſemina peſtis,
Accendique animos veſano Martis amore:
Te veniam poſco ſupplex, Pater optime, fauſtos
Redde mihi Superos, meritoſque oſtende labores,
Atque doce diras animæ reſtinguere flammas.
Vix ea fatus erat; lacrymis cùm lumina obortis
Funduntur, rorantque genas largo imbre madentes,
Libera nec linquunt ſingultus ora loquentis.
Vt primùm licuit compreſſas promere voces,
Virginis exponit gratiſſima viſa ſupremæ,
Et quos illa fuit ſummos largita fauores.

Reſponſio Philippi ad Peregrinum.

Tunc, ait, ô Fili, grandis tutela Parentis,
Te manet egregium rebus ſolamen in arctis.
Eia age, cœleſti tandem potieris honore.
Puberis Ille animans blandis præcordia verbis
Hortatur, Senas properanti pergere greſſu,
Spondet ibique nigro cingendum corpus amictu;
Nec mora, grata Patris Peregrinus iuſſa capeſſit,

Angelus Senas Peregrinum comitatur.

Carpit iter, pedibuſque citas dant gaudia pennas:
Alatus Iuuenis mox æthere prodit ab alto,
Subque viatoris ſpecie comitatur euntem.
Vt primùm ſubeunt ſacri penetralia Tecti,
Aliger æthereas remeat feſtinus ad oras.
Excipit ardenti venientem Rector amore;
Ordinis ad gremium diuino Numine citum
Nouerat Ille virum. Mentem miracula firmant:
Contegit vt proſtrata nigro velamine membra,
Emicat in ſummo cæleſtis vertice ſplendor,
Eximiæ qui certa notat præſagia vitæ.

Non

Non vacat Historiæ sanctos intexere mores,
Sat monimenta vigent summi Diplomate Pauli.
Non minus in trepida clarescunt Vrbe, Philippi
Feruida vota, preces, blandæque oracula vocis:
Pontificis namque illa iugo, Sedique supremæ
Incipit obsequium dare, Præsidiumque mouere,
Acceptare nouum, sæuumque extinguere Martem.
Sic Romandiolæ Prouincia tota quiescit,
Friget amor ferri, & scelerati insania belli.
Talia solliciti patientia mira Philippi
Munia præstat, amorque suos, quo feruet in hostes.

Paulus Papa V. Beatum declarauit Peregrinũ ac eius officium in toto ordine recitandum decreuit anno 1609.

Fœminei demùm, Patris moderamine Sexus
Tertius Ordo suis surrexerat incrementis;
Nam Falconeria insignita Propagine Virgo,
Et varijs Erebi, mundique decora triumphis,
Prima, docente Illo, niueæ fundamina Turmæ
Iecit, & alta sacri pressit monumenta pudoris.
Hæc illa est virgo, nullo superabilis, æuo,
Quæ dùm languentem pituita molestat acuta,
Et sorbere nequit velati fercula Christi,
Imperat imponi nudo sub pectore sacra
Pabula, quæ subitò cordis, mirabile dictu!
Ilia recludunt, castisque locantur in extis.
Moxque animam exhalat pretioso pignore ouantem,
Et volat ad superas comitanti Numine Sedes.
Talis erat propago pij, prolesque Parentis.

B. Iuliana de Falconerijs.

Miraculum B. Iulianæ.

Imminet intereà mortis breuis hora Philippo.
Candida non querulo squallebant corpora morbo,
Nec marcescebant languenti putrida tabe,
Præcipitem quæ nempè solet conferre senectam.
Lustra decem tantùm, binosque peregerat annos,
Splendida cùm vitæ secuerunt stamina Parcæ.

Mors imminet Philippo.

Cogit Florentiæ comitia Generalia.

Ille sua, ætherea præsentit funera luce.
Ilicet ad Patrios cogit solemne Penates
Concilium, potiore studens incumbere cura,
Vt sacra ritè sui seruetur Regula Cœpti.
Ingeminatur amor, sanctæque ad culmina vitæ
Zelus adhortatur studio grauiore Sodales.
Dixeris, immensas voluisse remittere curas
Muneris, & rigidos tandem finire labores.
Iamque parant timidi lachrymis obsistere Alumni,
Et suadere, sacras ne Turbæ linquat habenas;
Sed patuere nouo verborum sensa tenore,
Claudere nempè breues norunt cum munere luces.

Sermonem habet ad socios.

Hactenùs, inquit, ego frustrà dimittere fræna
Ordinis institui; minimum virtute sodalem
Iuuit, & ad primæ vectare cacumina Sedis;
Sic visum est Superis. Tranquillis tutus in vndis
Religionis honos, veluti trabs æquora sulcat,
Dùm venti posuere, omnisque repentè resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.
Iam pia Pontificum firmant Oracula Cymbam.
Inuidiæ non atra valet sæuire potestas;
Murmura naufragium frustrà minitantur acerbum.
Quæ leuis exagitat trepidos formido lacertos,
Numina dùm ventis implerunt vela secundis?
Nunc renouate preces, ac tanti gratia doni
Insideat menti, nec deleat vlla vetustas.
Quamuis summa dies, & ineluctabile fatum
Immineat capiti, toti præbere Maniplo
Mens est subsidium, donec subduxerit artus
Frigida mors anima; solùm mihi cura legendi est
Consortem, qui grata ferat solamina menti,
Errores dùm pendo, meeque piacula vitæ.

Commendat se precibus Fratrum.

Vos,

Vos, oro, precibus misero succurrite seruo,
Qui nutu sacrata suo dùm lora Coronæ
Rexit honorificæ, vestræ incubuitque saluti,
Multo fortè suos fœdauit crimine mores.
Si mea iam risit vestris sententia votis,
Siqua meis vnquam fuerunt & pondera dictis,
Vltima, nunc, imo defigite pectore iussa,
Et meminisse iuuet, longosque explete per annos.
Mutuus in Christo vos inter adæstuet ignis,
Intimaque alternis flagret præcordia flammis.
Numinis hæc prima est, & nostri summa Magistri
Regula, quam fida si mente colatis, amænum
Inuenietis iter, tutosque ad sydera calles.
Nullus amor gratus, talem qui nescit amorem;
Hunc si concipitis, commercia nulla fatigant,
Inuidiæ dens nullus obest, nec mordet acerbus,
Nec dabitur blando fraudem prætexere risu.
Hic dùm feruet amor, placidas Discordia mentes
Nulla mouet, sors quæque suo contenta paratu est;
Quisque sibi sumit, quas prouida Numina leges
Ordinis indicunt, aliena nec ambit amore
Munera præcipiti: nec teter pectora liuor,
Nec nomen, nec honor stimulis diuexat amaris.
Quò magis ille ligat sacro penetralia vinclo,
Et magis arcta Deo nectuntur fœdere corda.
Est amor insignis celso demissus ab axe,
Et nitor est Animæ: Christi, Sponsæque, iugalis
Vestis: & à Thalamis, & sacra arcetur ab Aula,
Limina, quæ tali subijt non tegmine cincta,
Amittitque piæ Cœlestia Nomina sponsæ.
Virginis, ò suboles, summæ, Matrïsque Tonantis,
Hæc animis versate pijs sanctissima iura;

Hortatur suos ad mutuum amorem.

Egregia amoris commendatio.

Nec ſatis eſt ſtudio diuinas carpere leges,
Vos decet, & factis, vigilique explere labore.
Indè oritur decus omne, ſalus, mercesque perennis;
Sic immortali cingentur tempora lauro.
Imperat, his dictis, prece totam inſtare Cohortem;
Atque alta, & flammante, Deo grata Agmina, voce
Commendat, rogat & ſacras moderetur habenas;
Deque miniſterij commiſſis Numina culpis
Expoſcit veniam, ſacræ fulcimine Matris.
Dùmque pijs liquidas implet clamoribus auras,
Ex oculis ingens lacrymarum protinus imber
Profluit, & linguæ ſuppreſſos obruit vſus.
Ille Crucis ſigno Cœtum dimiſit, & ore
Vociferante, ſacrum Socijs ter iuſſit amorem.
Poſtera nocturnos Aurora remouerat ignes,
Solque micans, radijs totum patefecerat Orbem;
Rurſus Concilium dùm conuocat, & Lotheringum
Collegam firmat, tollitque ad muneris altas
Sponte vices, tùm blando ipſum ſic admonet ore.
Virgineas iam, Frater, habes à Numine Caulas;
Ductor Oues cura commiſſas paſce ſagaci;
Sit tua vita almæ, veluti fax ſplendida Turmæ,
Vt doceas virtute magis, quàm voce Sodales.
Læta micet grauitas, rigidi ſed plena pudoris,
Frontis honos illa eſt, & mentis amabile pondus,
Concutiens animos, mores inducit honeſtos.
Summa quoque in dubijs vigeat prudentia rebus,
Immota & maneant Iuris decreta ſeueri.
Iuſtam æquo Iudex ſi libres pondere lancem,
Iuſtitia excedens facies veſtigia terris.
Excubitoris onus comple, vitaque veternum,
Otia ſi tollas, periere Cupidinis æſtus.

Veniam petit

Conſtituit Lotheringum Vicarium Generalem docetque qua mente, & ſagacitate debeat ordinem gubernare.

Rumpe

Rumpe moras, omnemque aditum custode corona.
Impauidus somni circumstat, & omnia lustrat
Hostis, vt vngue gregem trepidum discerpat adunco.
Muneris assiduos constanti mente labores
Vince; quies gregis est Pastoris cura fidelis.
Qui properant artus anima decorare senili,
Et sua iam niuei circumdant tempora cani,
Hos reuerere lubens; sed enim quia fomes in imis
Insidet, & tacitis succendit pectora flammis,
Suade, vt vita sacræ respondeat integra sorti;
Et grauibus teneræ studeant exempla Iuuentæ
Moribus ingerere, & speciem virtutis honestam.
Tùm quoque maturæ iuuenes hortare senectæ,
Splendida sectentur toto vestigia nisu;
Aetati nec parce, malo, quæ prona labascit,
Et ruit in præceps, rigidis nisi paret habenis.
Denique Tyrones, Iuuenesque, Senesque monebis,
Exantlent acres, Monachorum more, labores,
Languida ne puras incestet inertia mentes.
Religionis & arcta doce persoluere vota;
Illa piæ niteant, vt candida fulcra, Coronæ.
Quas quoque condidimus, iubeo, persistere Leges,
Pectoribusque velim calamo sculpantur aheno,
Curaque assidua strictos vertantur in vsus.
Diua Augustini stimulat quoque Regula mentem.
O vtinam sacrata meas Oracula fibras,
Et vestras penetrent, actæ velut igne sagittæ!
Quis det, vt illa modis exponam Iura canoris?
Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis,
Aligeræque daret cæleste idioma Cohortis,
Inclyta persequerer sanctæ præconia Legis.
Quam, mea lingua nequit digna depromere laude,

Sit,

Hortatur vt inuigilet oui-li.

Hortatur ad vota & ad leges ritè obseruandas.

Præsertim autem ad Regulam D. Augustini.

Sit, quam attingatis valido tentamine, meta:
Qui violarit, in ora ruat Phlegetontis aperta,
In vasto æterni torrendus gurgite busti.
Iam contende, dato persungi munere Fratres;
Vt iuges operum venentur laude coronas,
Pro quibus eximios renuerunt Orbis honores.

Dixerat, & Socijs, Lotheringoque oscula pacis
Vltima dat, lacrymis cuiusque rigantibus ora.
Postremumque vale Patriæ tùm dicit amatæ,
Arua petiturus Patriæ cœlestis amoena:
Vergit & ad celsi Sanaria culmina montis;
Nempè vt vbi rectæ didicit primordia vitæ,
Vltimaque ediscat pretiosæ munera mortis.
Hoc Pater extremos in monte incepit agones;
Quem bibiturus erat, Domino cratera propinat,
Poscit & ingrato impleri carchesia felle,
Expiet vt moriens, quas viuens tergere noxas
Autumat immani nondùm potuisse rigore.
O vtinam, Deus, inquit, in hac occumbere caute
Detur, vt assimulem, Solymo quas vertice luctas
Passus es immeritas, rigidos imiterque labores;
Sed reuerenda meam moderantur Numina sortem,
Nec petulanti impugno tuos certamine Nutus.
Hac in Rupe diù subijt consistere, menti;
Hanc habitare breui voluisti tempore Sedem,
Et mihi sæpè sacros licuit vix lambere postes.
Sic Fatus, priscùm lustrat monumenta Parentum;
Bonfilique priùs, lacrymisque per ipsa volutis,
O Pater alme, inquit, Seruorum prima columna,
Et decus æternum, totos cui debeo mores,
Et bona, siqua mihi Monachi vestigia restant;
Imminet ecce meæ iam meta nouissima vitæ,

Heù!

Osculа dat vltima & pergit ad montem Sanarium.

Discursus Philippi in monte Sanario.

Visit sepulcrũ primorum Ordinis Fundatorum sic autem B. Bonfilium precatur

Heù ! tua neglexi sero documenta tepore :
Multa nigrum delicta premunt ob munera pectus,
Flammeaque horrentum succendunt fulmina Diuùm;
Quin mihi, ni precibus cures ardentibus iras
Lenire, intentant miseræ dispendia sortis.
Tu mihi sublimes apices, & culmina sacri
Mille modis sedenim suasisti carpere, Cœtus;
Hinc varijs infanda scatent præcordia culpis:
Tu calidis conare Deum mihi reddere votis
Propitium, meritisque atros pulsare timores.

Dixit; & indè breues post, Senas emigrat, horas.*
Puber at accedit, tanti qui grata Magistri
Dona petit, scribique rogat sua nomina Turmæ:
Hic Franciscus erat, claro de sanguine cretus,
Antè annos animumque gerens, curamque virilem;
Alter ab vndecimo tunc ipsum cœperat annus.
Obstupet ille pios, tenerosque ætatis amores,
Præuidet & Pueri raras ex indole dotes
Affore, virtutis pia, si cum flore Iuuentæ
Munera crebrescant; dat vestes, Tertius Ordo
Quas gerit, & spondet, vegetis dùm creuerit annis,
Tempora sacrato tandem obnubenda cucullo.
Hic magna argumenta dedit virtutis in vrbe
Per duo lustra; sacri sed tandem miles inunctus
Ordinis insuetos portentis spargit honores.
Sat dixisse, Necis quinos superasse triumphos,
Quina tenebrosis dùm corpora subripit vmbris,
Et radijs vitæ primis, Iubarique reducit.

Hinc Pater ad Papam Perusina tùm vrbe morantē
It, rogat & caram tueatur robore Prolem:
Tùm dotes Lotheringi altas, & nomina dignis
Laudibus extollens, Gregis ad fastigia sacri

* Inde migrat Senas.

Franciscus Puer 12. annorum postulat ordinis vestem

Præsagia virtutum puberis dat habitum tertii ordinis seù sæcularis

Franciscus Senensis 5. mortuos suscitauit.

Philippus Perusium pergit & Honorio IV. ordinem commendat, & Lotheringum successorem.

Prima vehi curat, ſummo poſt funera, nutu.

Inde Tudertum vetgit vt ibi diem vltimum claudat ſemper dixerat hæc requies mea.

His ità compoſitis iucunda fronte Tudertum
Pergit iter, pedibuſque citas Mors adijcit alas.
Hæc vrbs illa fuit, tenero quam ſemper amore
Excoluit, legitque obitus pro ſede futuri.
Hæc requies mea, vaticinans crebro ore ferebat:
Hac & in vrbe breues rapiet ſors vltima luces.

Tota ciuitas venit obuiā floribus & ramis oliuæ viā ſternens, ac ſummis plauſibus excipiens.

Mox vbi lætantes norunt inſtare coloni,
Ex vrbe excedunt: occurrit & obuia plauſu
Turba triumphali, reſonans ferit æthera clamor.
Clerus, nobilitas, populuſque, ſeneſque, puellique
Vndique proſiliunt, plateas, vicoſque coronant.
Hi manibus geſtant ramos vernantis oliuæ:
Flore vias alij ſpargunt, folioque virenti:
Concelebrant alij grandes venientis honores;
En, aiunt, virtutis amor, Doctorque ſalutis,
Virginis en Seruus, ſacrum Pietatis aſylum,
En vir, qui ſancti dedit alma exempla pudoris,
Prodigijſque nouum diuinis condidit Orbem.
Talibus alta modis memorabant geſta Philippi:
Vt primùm Ille videt denſæ tanta agmina Turbæ,

Philippus deflectit ad alios calles vt populi pompas euitet.

Triſtatur, crebroque ardens hæc intonat ore.
Soli detur honos, & gloria ſumma Tonanti;
Heù! quid ego merear, rigidas niſi crimine pœnas!

Duæ meretrices ipſi occurrunt verbis obſcænis ludentes.

Dixerat, & ſubitò gradiens per opaca viarum
Carpit iter; fauſtas ingenti vt turbine pompas
Defugiat: ſed dante Deo, laus indè reſultat
Splendidior. Per itèr cœptum propè mœnia ſcorta
Occurrere duo, ſtolidis ludentia verbis,
Floræ, Helenæque ſuam promebant nomina ſortem.
Fœminei geſtus, & dicta procacia aluminis,
Et ſibi directa, eloquijs carpuntur honeſtis.

At

At monitus spernunt, & sacræ hortamina linguæ,
Mollique eludunt effusis ore cachinnis.
Dùm Venus, & calidi scintillat feruor amoris,
Iamque venenosis fœdauit pectora flammis,
Pestiferos cæci frœnare Cupidinis æstus
Sola potest Stygij minitans Phlegetontis imago:
Hac sedenim natura putri iam saucia peste,
Præpete supplicij specie terretur atrocis:
Ac plectenda videns æternis corpora poenis,
Respuit insanos lasciui cordis amores,
Ac temerasse dolet turpi præcordia sorde.
Talibus Ille modis, blandoque redarguit ore.
Heù! versate animis, agitet quàm dira cupido
Nunc vos, nunc alios, simili quos vritis igne,
Atque voluptatum teneris innectitis hamis.
Heù! furibunda facit communia damna libido,
Membraque Circæis effoeminat acrius herbis.
Crescit in immensum captæ insatiabilis ardor
Carnis, & illecebris inhiat noua, blanda voluptas.
Quot membris, animisque solet mala ferre Cupido
Noxia! Quot fraudes, quæstus frustrantur hiantes!
Roditur intereà valido mens conscia verme:
Peruolat horribilis foedis infamia stupris,
Accenditque nouos mæchantum rixa tumultus.
O quoties subitam grauiora pericula mortem
Intentant, tetrique parant incendia Auerni!
Vana voluptatis transit, velut vmbra, Libido,
Poena sed innumeros cruciat violenta per annos.
Quò magis oderunt Veneris Coelestia culpas,
Hòc magis insolitis mulctabunt Numina flammis
Obscoenas animas. Proh perpes flamma Acherontis,
Dæmonis ò rabies, cur non mortalia cogis

Ipsas statim conuertit.

Sermo quem ad ipsas habet vt Terreantur.

Pectora, mensque labat tantis tremefacta periclis?
Vix ea rettulerat; steterunt, natusque medullas
Intrauit pauor, & labefacta per ossa cucurrit.
Dant gemitus, lacrymisque rigant mox ora subortis,
Durasque affirmant culparum velle catenas,
Rumpere, & immundas in sacras vertere flammas.
Integrat Ille modos gaudens, ac talibus infit.
Eia alacres animis, tutam sperate salutem,
Et iuuet afflictis meliùs confidere rebus.
Spes mihi magna subit, vos summæ posse Parentis
Virginis auxilio, veniam impetrare petitam;
Hæc peccatrices impuras, pura tuetur:
Dùm tepidis satagunt sordes extergere guttis;
Matris opem tantæ enixis exposcite curis.
Quin & amore, precor, cuius tot Numina noxis
Optima læsistis, rutilos ter iungat equos Sol,
Ternaque splendescat roseis Aurora capillis,
Illicitis puros cohibete & sordibus artus;
Siqua fides vnquam vestro prodiuit ab ore,
Iam seruate Deo, magna præbebit opem vi,
Et pridem laxas vitiorum arctetis habenas.
Protinùs his dictis, iubet impertire Sodales
Subsidium terna, satient vt corpora, luce;
Ne sua pauperie prætexant crimina turpi.
Intereà vigiles sistunt in tramite Ciues,
Quo putat effusam vitasse per auia Turbam,
Cogitur & summos admittere Plebis honores;
Dixeris hunc, Christi Solymum simulare triumphum:
Namque Tudertum adiens, vili vectatur asello.
Ingreditur Solymam Christus moriturus in vrbem,
Plebs glomerata ruit, ramos dispergit oliuæ,
Vociferatur ouans, vestes & vbique viarum

Inster-

Horrendis cō motæ dictis mulieres deserunt mundum & in monasterio ad vitam includuntur.

Hortatur ipsas vt tribus diebus ab illicito abstineāt coitu: iubet & illis pecunias pro illo tempore impertiri

Ciues Tudertini in alto tramite deprehendunt ac in te triumphi ad sacras ordinis ædes deuehunt.

Insternit, completque vrbem clamore sonoro.
Quæ sublime fuit plausus festiua Theatrum,
Extitit & Sedes ignominiosa dolorum.
Sic subit Ille domos, sedem, mortisque trophæum.
Dùm celebres cruciant insontia pectora Pompæ,
Lætitiaque fremens Plebs inter brachia tollit,
Ad Seruitanæ vehitur delubra Phalangis.
Protinùs ad sacras supplex prosternitur aras;
Dùmque preces fundit, lacrymisque rigatur amaris,
Olli subripitur diuturno tempore sensus;
Excutitur, dulcique sonos sic spargit ab ore.
Quas ego, summe Deus, valeam tibi soluere grates,
Quem iuuat, hac cineres in Sede manere perennes!
Nec plura effatus, vires tùm colligit omnes,
Et virtutis opes, miros conuertit in vsus.
Vrbs tota inuilit, comesque per omnia Ciues
Obsequij argumenta, dabant reuerentis, honores.
Accessus vtriusque tamen Meretricis, Auerno
Iam victo, placuere magis, quàm munia plebis,
Ingressus hilari fremitu gratantis honoros.
Hæ tribus elapsis veniunt ad sacra, diebus
Limina, supremas metuentes Iudicis iras:
Continuisque atri quassæ terroribus Orci,
Matris odoratas puræ sternuntur ad aras,
Eius ope vt turpes extinguant formitis ignes,
Assiduoque doment luctantia membra labore.
Hinc adeunt Patrem, gemitu qui pectora grandi
Percipit in sacri mutata incendia amoris.
Iam fuerant totam confessæ errata per vrbem,
Vt, Samarisque, suum vulgarant voce Medentem;
Insuper errores omnes ex ore vomentes,
Ipsius virtute luunt, abeuntque solutæ.

Eius triumphus comparatur triumpho Christi Hierosolimam ingredientis.

In Ecclesia constitutus in extasim rapitur.
Excutitur, & Deo gratias agit quod eandem venerit in locum vbi erat obiturus.

Redeunt ad ipsum mulieres & sæculo prorsus renunciant, rigidasque pœnas omnino exequuntur in monasterio inclusæ.

Tùm diuina nouam miſerantur Numina Prolem;
Ciuis & ex Arnolpho munificentia Pago
Dat ſedes, vbi ſponte ſuum clauduntur in æuum;
Et rigidas immunda ferunt ob crimina pœnas.
Hæc Domus in ſanctas conuertitur Ordinis Aedes,
Fœmineique tenent ſacrata in veſte Manipli.



FR. GERMANI SARDI

MASSILIENSIS

Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis, Doctoris Theologi.

BENIZIDOS

LIBER XII.

ARGVMENTVM.

Vrbe Tudertina febri grauiore Philippus
Ardescens, ad Vota suos hortatur Alumnos.
Virgo sacri pandit venturi prospera Coetus.
Aduolat æthereas pretioso funere Sedes.
Splendida membra pio Ciues venerantur honore.

IAm Diuus, momenta breuis quem tẽporis vrgent,
Tota nocte, diem Assumptæ præeunte Mariæ
Solemnem, Superos fletu, precibusque fatigat.
Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis;
Dùm cunctæ rumore viæ, plausuque fremebant:
Mox sacra complentur festo Delubra popello,
Exoptante pium ritè obseruare Philippum,
Et meritum deferre grauis libamen honoris.
Ille facit Sacrum, flagrantibus ilia flammis
Succensus: celsique petens fastigia Cœli,
Talibus instituit bibulas accentibus aures.
Iam decet, immenso puræ de culmine Matris
In Cœlum euectæ, redolentia fundere Verba,
Et quibus in Patria potiuntur, gaudia Diui

In Vigilia Assumptionis B. Mariæ Virg.

Philippus missam celebrat, & concionem habet de felicitate Beatorum, & B. Virginis.

Iu-

Iugia, mellifluo vobis memorare lepore.
Sed qua voce queam, dios celebrare fauores,
Rex quibus Omnipotens caros dignatur amicos?
Illìc fœlices ſupremo Numine Mentes
Aeternùm gaudent, & Diui pectus amoris
Igne penetratum, ipſa Dei mutatur in ora.
Delicijs ſubmerſa tori Natura, perennis,
Immenſis, immenſi fit noua ſponſa Tonantis;
Vna ſimul ſuperos exæquat Gloria Ciues,
Vnus amor parili connectit pectora vinclo.
Nec faſtus, nec opes, nec ſtulti gaudia mundi,
Nec luxus, nec vanus honor, nec blanda voluptas,
Nec quos Gens egit celebres Romana triumphos,
Victorum nec clara Ducum, cæſo hoſte, trophæa,
Heroum, Regumque micans nec pompa potentum,
Nec ludi, nec mira caui ſpectacula circi,
Diuitias æquant Cœli, ſorteſque beatas.
Non hìc ſtellatæ roduntur verme Coronæ,
Vlla nec ærugo, aut tineæ dominantur edaces;
Non hìc magnifici ceſſant cum luce triumphi;
Immortalis agit cœleſtes Gloria Ciues;
Integra captantur non mixto gaudia fletu.
Hinc Iubar æternum nocturnas diſijcit vmbras;
Splendida continuò regales Aula Colonos
Illuſtrat, ſummamque regit ſine lite, quietem.
Nulla fames vrget, dapibuſque epulantur opimis
Conuiuæ, nullæque mouent faſtidia menſæ,
Sed ſacra perpetibus ſatiantur pectora ferclis,
Nec noua percupiunt, dùm nauſea nulla moleſtat.
Poſſidet omne bonum, ſolo qui Numine gaudet;
Omnia namque Deus, maior maioribus ipſe eſt.
Immenſas Orbis ſolus metitur abyſſos,

Quas ſolus fecit, qui condidit omnia ſolus.
Incomprenſa polos præſentia complet, & orbes;
Altas Ille ſinu, parteſque amplectitur imas,
Cunctorum finis, fons eſt, & origo Bonorum,
Inclyta proh Diuùm merces! proh ſacra voluptas!
Quam dolor haud vllus minuit, nec meta coercet.
O Patris æterni, Virgo, clariſſima Proles;
O Nati diuina Parens, & Flaminis alma
Sponſa, ſuper Coeli aligeras ſublata Cohortes,
Si tàm multa tuos releuant monumenta Clientes;
Virgineam quæ digna ligent diademata frontem?
Te Pater amplexatur ouans, ſacra tempora ſertis
Cingit odoriferis, nulloque cadentibus æuo.
Filius oſtentat rubras in Corpore plagas,
Quæ velut ardentes ſcintillant luce Pyropi,
Obijcit & ſæuos, quos mollia corda, dolores
Paſſa fuere, Crucis dùm ſtipite lumina clauſit;
Et pro lacte, tuis quod ſuxerat ore papillis,
Proque fluente ſacras, quo dura ob funera, fletu
Roraſti malas, manibus dat lilia plenis,
Lilia, quæ nullis marceſcent temporis annis.
Siderea thalamos geniales Flamen in Aula
Inſtruit, æternos vt captes mente ſopores.
Alituum glomerata phalanx caua nubila pennis
Pandit, & ad celſi Palatia vectat Olympi:
Inque Dei ſolio ſiſtenti munera ſoluit,
Seruitiumque Poli Reginæ præbet honeſtum.

De plauſu quo Virgo inter agmina cæleſtia excipitur.

Quid tibi cum pompis ſæcli, ò Sectator Olympi?
Heù! quænam mentes veſania torquet inanes!
Num vaga ſectaris tumidi phantaſmata honoris?
Curris & ad putris fallacia ſpectra Coloſſi?
Non ſecùs ac toto qui proflat pectore ſomnum,

Hortatur ad bonos mores, & ad patriam cæleſtem.

Comparatio.

Mul-

Multa modis ſimulacra videt volitantia miris,
Fingit opes magnas de Marte tuliſſe cruento,
In ſolioque alti geſſiſſe inſignia Regis;
Aſt vbi tranquilli fugit omnis inertia ſomni,
Deluſos tacitæ ſenſus per ſomnia noctis,
Noſcit, & integrat miſerandæ munia ſortis.
Tales exagitant torpentia pectora curæ.
Omne æuum, Mundane, teris, labentis vt altos
Attingas apices, per mille pericula, honoris.
Non verum eſt, quod tanta inhias indagine nomen,
Sed ſpecies, ſummi fallax & imago decoris.
Quas piſcaris opes, faſtuſque adipiſceris arte,
Sunt, mihi crede, grauis ludibria falſa ſoporis,
Laruatumque decus, volucres venantis Amores.
Cur ad honorificas mundi dilaberis vmbras,
Et fugis æterni veracia culmina Regni?
Si tibi difficiles videantur ad Aſtra receſſus,
Corripe ſponte viam, diuino Numine fretus;
Recta per anguſtos ducet te ſemita calles.
Per ſcopulos, rupeſque viæ coeleſtis acutas
Pergere nec renuas, nec inhoſpita luſtra fatigent,
Si cupis optatas curſu contingere metas,
Et Patriæ, æthereique frui dulcedine campi,
Ducereque æternas cum ſancta plebe choreas.
Dixit; & ima flagrans conuellit viſcera febris;
Protinùs & rigido conſternit membra grabato. *Corripitur ardẽti febre.*
Non frontem impauidam morbi vertere minaces,
Mitia ſed placidum pertentant gaudia pectus.
Ingruit hinc febris, velut alti nuncia Coeli,
Quæ canit amplexus, proprioris & oſcula Sponſi. *In ſtramine duro decumbit.*
Dùm iacet in duro, languenti, ſtramine, tabe,
Omnibus alma refert blandis ſolatia dictis;

Quò

Quò magis oppressæ desunt in corpore vires;
Hòc magis increscunt insontis robora mentis.
Vrbis at Antistes, Medicique, vt ferbuit acer
Languor, & instantis propiora pericula mortis
Intentat, molli sub lecto fracta reponi
Aegri membra iubent, quem cômodat vrbis Amicus,
Scilicet extremam vt tangat penuria metam.
Queis cilicum diris cruciabat corpora setis,
Exuit haud vsquam, rigidi ast insigne laboris
Perpetuò indutus, duram vult claudere vitam.
Nec sacro expoliat se religionis amictu;
Virginis almæ adeò vehementi feruet amore,
Cuius ad obsequium tali se tegmine cinxit.

Amicus calcitram laneam præbuit mutuam.

Quæ breuiora manent, optaret tempora summo
Consecrare Deo, propriæque dicare saluti;
Numinis at stimulante viri præcordia nutu
Intima, consilijs animos accendit inertes,
Deprimit audaces monitis, releuatque cadentes,
Nullíusque aditus renuit: nec morbus agendi
Tempora frustratur, postrema sed hora coronat
Officiosa vltrò in Superos, & munia Fratres.
Dulcia titillant solamina Numinis ægrum,
Imaque nectareo perfundunt corda liquore.
Neglıgit vndantes intùs dulcedinis imbres,
Vt toto externis incumbat pectore curis.
O prorsus miranda humilis sententia mentis!

Morbo oppressus non desinit proximi saluti inuigilare.

Septima iam nitidum terris Aurora coruscans
Purpureo vehit axe diem, dùm febris adurit
Ilia, cumque malo luctatur, & omnibus omnem
Præbet opem, extremosque viris impendit agones.
At licet innocuos, languor contorqueat artus,
Tabemque inflamment rigidi, quos vita labores

Sustinuit variarum inter discrimina rerum;
Quamuis debilitas infracti corporis vrgens,
Continuique aditus febrem irritare furentem
Iure queant, ipsum nullo tabescere morbo
Dixeris, aut saltem nullum sentire dolorem;
Gratia sic vultu suaues depinxit amores.
Hæc tamen ad solos interdum verba Sodales
Dirigit. Heù! grauiora quidem fastidia præbent,
Insoliti qui sæpè mihi referuntur honores,
Quàm languor sœuis vrens ardoribus exta.
Tecta iuuat legisse sacri pauperrima Cœtus,
Vt procul à tumido fugerem consortia, mundo;
Nec vitare queo; Superùm sic iura tulere.
Qua, violenta fero morbi tormenta tenacis,
Mente feram populos, solantia verba ferentes.

Magis torquetur honoribus qui deferuntur ipsi quam febribus.

Ast vbi deliquio suppressas perpete vires
Amisit, metasque dati peruenit ad æui,
Fratribus ad thalamos ascitis, talia fatur.
Iam mihi Virgo Parens supremam prodidit horam.
Postera nempè dies vitales finiet auras;
Iudicis ad solium iam iam tremefacta seueri
Mens sistet, iuxta leuiora piacula lance
Scrutantis, pœnisque diù plectentis acerbis.
Vestra pijs, oro, conferte leuamina votis.
Iam veniam posco, si quis vos læserit error,
Aut inopina sacros temerarint crimina mores;
Namque in me, præter cœlestes Numinis auras,
Nil reperire boni est; sed Virgo suprema mihi spes,
Et tutela, suæ pretioso sanguine Prolis,
Esse graues spondet noxas, post fata luendas.
Cœtera ni fuerint immensis consona votis
Munia: nec sublimè tulit sat languida zelum

Sermo quem habet ad Fratres ante obitum.

Veniam poscit.

Cu-

Cura : vel exemplum dederit ſi pigra ſalutis
Argumenta, iuuet vigili ſupplere labore;
Quæ nequiere leues in pectora fundere vires.
At nouus inſurget mea poſt, qui, funera, Rector,
Deſidiæ immanem reparabit numine molem:
Carpetiſque breuì ſacros ex arbore fœtus.

Vltima ſi moueant moribundi verba parentis,
Pectoribus, quæ ſacra canam, defigite veſtris.
Nullus amore ſui tumeat, ſed Numen ad altum
Munera corde humili ſtudeat collata referre.
Non ſubeat menti dominandi cœca libido;
Tutius eſt animos alienæ ſubdere legi,
Quàm velle imperijs homines vincire ſuperbis.
Sedis Apoſtolicæ puro conſidite ſenſu,
Dùm labat in medijs rixarum quaſſa procellis.
Regula, Romulei Paſtoris ſumma voluntas,
Stricta ſit obſequij; nam prolem Eccleſia Mater
Neſcit, Pontificem quæ nolit habere Parentem.
Alternique perenne iugum vos nectat amoris;
Non amat ille Deum, qui Fratres odit iniqua
Mentis amaritie, vel triſti fraude laceſſit.
Conſcius eſt animus, me puro corde Sodales
Dilexiſſe pari ſtudio prauoſque, proboſque,
Quoſque per externi norim commercia mundi.
Hæc vobis ſit norma breuis, vitæque ſalubris
Semita, ad æthereos tandem ductura Penates.
Altera Virgo via eſt, Cœlique altiſſima ſcala;
Illius auſpicijs certam ſperate ſalutem;
Illa quidem noſtris valido tutamine votis
Mite dedit, quibus & petij ſolamen Amicis.
Religionis & arcta ſacrum ſit Regula frænum,
Numinibus quod veſtra liget præcordia nexu.

Suos ad humilitatem hortatur.

Hortatur ad obedientiam Summo Pont. & Sanctæ Sedi, & ordinis legibus exhibendam.

Commendat erga B. Mariã Virginem pietatem.

Iam ſi blanda flagrant Ouium Paſtoris amore
Viſcera poſtremo, ſeruilis tegmine veſtis
Induar in gelido ſquallentia membra ſepulcro;
Talis erat, Sanctam ſubij dùm, Palla, Cateruam;
Principium, finiſque meæ ſint conſona vitæ.
Vilior exanimis ſindon, quæ corpus IESV
Inuoluit, quàm quo velamine flagito condi;
Hæc cinerum ſunto monimenta ſuperba meorum.
Iam benè de me ſentit inanis opinio vulgi;
Ne ſedeant Animis tam vana arbitria ſacris;
Mens hominum fallax, fallaces fingit honores,
Crebraque vaniloquis ſpargit mendacia linguis:
Quos facit Aſtra poli, torres voluuntur in Orco.
Numina ſola pari norunt res pendere libra,
Aequalique hominum metiri pondera lance.
Me miſerum noſco, grauibuſque ſcatentia culpis
Pectora conſpicio, magno ſed fultus amore
Numinis expecto veniam; vos addite multas
Ore preces; faciles tandem ſi præbeat aures,
Grato animo Natum, Matremque in vota vocabo.

Olli tùm lacrymas fantur, gemituque per auras
Effuſo, ſedes pulſata remugit Olympi.
Intereà Medicus iubet ægrum parcere verbis,
Dùm furit, atque artus depaſcitur arida febris;
Quamuis fraternam potiùs curare ſalutem,
Quàm propriam ſtudeat, iuſſis parere Medentum
Ilicèt aggreditur, medioque in pectore zelum
Contegit ardentem, flammaſque recondit hiantes.
Tùm non ore preces, ceù quondam, fundit anhelas,
Mente ſed intorquet tacitas ad Sydera voces:
Nam ſua pectus habet verba, eloquiumque diſertum,
Singultus, gemitus, lacrymas, ſuſpiria, queſtus.

Poſtulat ſepeliri in Veſte fratris conuerſi, ea ſcilicet qua receptus fuerat in ordine.

Cum raucus vix verba poſſit expromere in cælum vibrat internas mentis loquelas.

Tali-

Talibus æthereæ tanguntur vocibus Aures;
H's Pater impugnat cœleſtia Numina telis,
Diuinaſque ferit muto mucrone medullas.
Elicit ignis aquas tepefacto ex corde calentes,
Lucida continu's quæ rorant ora fluentis.
Proſpiceres Hominem diuino Numinis æſtu
Corda penetratum, radijs ſplendeſcere vultum,
Necnon & rutilos geminati ſyderis orbes
Fronte ſub ætherea cœleſte effundere, lumen.

Ingeminatur amor, dùm myſtica fercula Chriſti
Sub ſpecie, & ſacri ſumit velamine Panis.
E lecto ſurgens, duplicato poplite terram
Lambit, & inſolitis cœleſtia Pabula pronus
Percipit obſequijs. O quot ſuſpiria ab imo
Anxia corde trahit! gemitus quot tollit ad aſtra!
Flammiferas tunſo quot vibrat pectore voces!
Turba propinqua fremit, teneroque mouetur amore,
Dùm videt in Sancto moriente ſtupenda doloris
Signa tot interni, ſubitoque tremore paueſcit;
Nam quæ tuta malis mors, dùm formidine ſanctos
Concutit, & tantis terroribus occupat oſſa?
Tùm redit ad ſtratum, iugiſque encomia vitæ
Incipit alta modis hilaris celebrare diſertis;
Quippè epulis ſacri recreatus dulcibus Agni,
Dulcia, quæ pectus iam ſorbuit, ore refundit.

E lecto ſurgit & ſupinus humi proſtratus recipit viaticum.

Cùmque recenſendo Pſalmos, quos condidit olim,
Tergeret, vt tepidis Rex Vates crimina guttis,
Hæc venit ad verba, *ò Deus audi vota rogantum*,
Deliquium patitur, quo ſenſu deficit omni,
Protinùs & iam morte diem clauſiſſe ſupremum
Creditur. At tales dùm ſuſtinet æger agones,
Vbaldus veniens ſemota ex vrbe, cubili

Cum perueniſſet ad verba. Te rogamus audi nos. Animo defecit tribuſque horis abſque vllo motu in agone moratus.

Ac-

Accedit; nondumque bonum expiraſſe Magiſtrum
Aſſerit. Hic Vbaldus erat, quem veſte Philippus
Induerat, Stirpemque ſacris plantauerat Aruis
Ordinis, eximioſque tulit ſancta indole fructus.
Admonitus dia, moribundum, voce, Parentem
Accurrit: corpuſque videns pallore notatum
Exangui, crines hirtos, caua tempora; viuit
Viuit adhùc, inquit; manibus tùm concutit armos,
Voceque clamoſa torporem pellit inertem,
Qui tribus exanimes horis compreſſerat artus.
Mox, redeunte animo, ſurgit, lectoque reſidens
Talia terribili depromit voce Benizus.

Vbaldus venit ex viubria diuina voce admonitus.

Ad ſolium ſublime Dei me dira vocauit
Lis; inijt grauiora ferus certamina Dæmon;
Mille per ambages, minimas per mille rigores
Scrutari culpas, dubiæque volumina mentis
Cæpit, vt indè mihi nullam ſperare ſalutem
Vltrò ſuaderet: tota & conſtantia cordis
Quaſſa labaret: opem ſed Virgo puerpera ſummam
Præſtitit, ancipites blandis ſolata timores
Eloquijs. Vanæ, Fili, cur Dæmonis artes
Terrificant animos, dùm Natus, egoque frequenti
Fregimus auxilio iam fraudes hoſtis iniquas?
Macte animo, tibi tuta ſalus, & proemia longa.
Quæ dedimus noſtri monimentum, & pignus amoris
Te firment, hilaremque regat fiducia mentem.
Nunc age, Seruorum Sobolem quæ deinde ſequatur
Gloria, qui maneant ſacra de Gente Nepotes,
Illuſtres animas, noſtrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te ventura docebo.

Certamen quod habuit Philippus in Agonia cum Dæmone.

Virgo tulit opem, & futuram ordinis fœlicitatem, & amplitudinem repræſentat.

Quæ nigricante vides ſub Veſte gerentia palmas
Agmina, ſunt pulchræ ſexus vtriuſque Cateruæ,
Auſpi-

Auſpicijs, quæ ritè meis micuere ſub almis.
Qui loca prima tenet Bonfilius, Agminis eſt Dux,
Cum Socijs, qui prima dedit fundamina Cœtus.
Sit numeroſa quidem, nunc Ordinis alta Propago,
Extiterit veniente tamen numeroſior æuo;
Nam modò quas vacuas ſpectas hoc ordine ſedes,
Tandem implebuntur vario diſcrimine Diuûm;
Quippè triumphatis inuicta morte Tyrannis,
Purpureo rutilans ad cœlos ſanguine Turma
Ingredietur ouans; Confeſſorumque Corona
Plurima tùm veniet ſacros latura triumphos.
Cernere erit ſpolijs hoſtilibus, atque trophæis
Nobilibus claram, pictis vectamque quadrigis
Aethereæ auratos Solymæ percurrere vicos.
Hìc & erunt portenta, ſacri ſpectacula ludi
Dantia Coelicolis. Illìc Documenta diſertis
Eloquijs ſparſa, Hæreſeoſque doloſa rebellis
Dogmatibus veris dirimentia, dogmata falſa.
Hùc geminas conuerte acies, hanc aſpice Gentem,
Progeniemque tuam, ſacroque pudore coruſcam.
Virgineo formoſa prior dat Iulia Flores,
Ex Falconeria priſca propagine creta,
Læta ſuo partu, centumque enixa Phalangas,
Omnes Coelicolas, omnes ſupera alta tenentes,
Omnes & niueo præcinctas tempora velo.

Quæ verò Illa manus rubro diſtincta colore?
Quis, niſi Purpureus Grex nomine, Cardine Patrum
Dictus, qui Coetum decorant, vmbraque tuentur?
Iam ſi cana nigri iuuat ora videre Manipli,
Stemmata geſtantis, puris & lilia palmis,
Hæc inſigne reget clariſſima Turba Sigillum
Ordinis, & ſacras Monachorum flectet habenas.

Septem ordinis fundatores.

Virgo obiicit oculis martyres & Confeſſores ordinis.

B. Iuliana de Falconeriis.

Hic fit mentio de Cardinalibus ordinis, & de Cardinalibus Protectoribus ſub quorum tutela fuit ordo Seruorum Alia Caterua nigra ſunt Generales, procuratores & ſuperiores ordinis.

Quæ

Quæ procul accelerant hominum atra veste Cohortes
Sunt genus omne, pijs quod militat Ordinis armis;
Aethereas & qui vitam excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecere merendo.
Mens vbi corporea fuerit compage soluta,
(Nam te fata breuì iungent properantia nobis)
Fulgentesque Poli penetrauerit ignea sedes,
Demirata priùs regalia sceptra Tonantis,
Magnifica & Triadis vel in vno Numine, Tecta,
Tùm magis in facie Deitatis aperta videbit
Argumenta, futura dabunt quæ sæcula quondam.
Dixerat, & Visum ex oculis euanuit omne.
Hæc refero, non vt mea maior opinio gliscat
Plebis in ore leuis, sed vt almi gloria Cœtus
Augeat aut animos, aut Numinis Ordo perenni
Nomina laude canat, meritosque rependat honores.

Postquam Philippus visum recensuit postulat enixe suum librum nempe crucifixum eburneū quem semper manibus tulerat.

Hæc vbi dicta; suum repetita voce Libellum
Postulat instanter; citò, ait, mihi reddite, Fratres.
O Liber, ò Codex, ò cordis amorque, decusque!
Quærite, quæso, Ducem vitæ, mortisque volumen,
Quo sine qui moritur, vitam reperire nequibit,
Quo sine qui viuit, mortem patietur amaram.
Lumina, dùm fatur, partes deflectit in omnes,
Sollicitusque suum poscit sine more Libellum.
Quisque fatigatur, manibusque, oculisque reuoluit,
Quodlibet occurrat. Sacram fert ille Corollam,
Carmina Psalmorum vatis dabat ille Dauidis;
Hic sacrata offert, quæ condidit ipse statuta.
Abnuit: vrgentique iterat sermone petita.
Illius at tandem deprendunt lumina Fratres,
In Cruce fixa super Christi pendentis eburnam
Effigiem, quam nempè pius gestare solebat,

Sæpè

Sæpè ſuis manibus; mox illam porrigit vnus;
Admotamque ſinu moriens reuerenter adorat,
Atque ait. Ecce Liber, toto quem corde requiro,
In quo ſupremi perlegi Numinis alta
Conſilia, & magnos diuinæ Prolis amores:
In quo vitæ Author fragilis ſub tegmine carnis
Expetijt fuſo crudelem ſanguine mortem,
Vt nece Tartarei perfringeret ora Draconis.
Hoc doceor potiora crucis medicamina Libro,
Quæ moriens tulerat Medicus mortalibus ægris,
Cautus vt elueret priſcæ contagia labis.
Hìc pia cœleſtis capio primordia vitæ;
Numinis ediſco deiectam ſtipite ſortem,
Opprobrijſque feris læſos Deitatis honores,
Vt vehar ad primæ deperdita culmina ſedis;
Hoc me, Chriſte, doce vitam, mortemque, Libello,
Meque doce ad poſtrema meæ ſuſpiria vitæ;
Parque voluntati fuerit cùm vita Paternæ,
Iam mea ſit pariter tibi Nato prona voluntas;
Cùmque tua vitam libaris morte Parenti,
Proque mea dederis morientia membra, ſalute,
Hanc ego ſponte tuo pro Numine do quoque vitam.
Tùm Chriſtũ extollens manibus, ſic Dæmonas arcet.
Aduentante Deo, procul, ò procul eſte prophani;
Ad loca lucifugæ properate nigrantia Peſtes;
Ad pice torrentes, altaque voragine ripas
Pergite, ſulphureos atris ex faucibus ignes
Euomite, inque animas, quas fœda piacula vinclis
Addicunt Stygijs, furias explete cruentas;
Namque vbi ſacra viget Medici præſentia ſummi,
Aſpidis haud valeant inferna nocere venena.
Hæc ait; & pulſa trepidi formidine cordis:

Porrecto tandem libro ſeù crucifixo ſic ſequitur Philippus.

Cant. Zachariæ Benedictus Dñs Deus Israel.

Confirmans animos cæleſti robore lætos,
Zachariæ ſpirat tali modulamine Cantus.
O Deus, ò Sator, humanæ Gentiſque Redemptor,
Securam Medico, quæ te præſente ſalutem
Inuenit, dùm tota malo taberet acerbo,
Munere pro tanto dignas perſoluere grates
Non opis eſt noſtræ; meritas tibi concine laudes
Vel tu, quem iuuit Naturæ ferre labores,
Atque, nouis mutas portentis ſoluere linguas.
Heù! voluebantur triſti caligine mentes:
Nox obſcura diem cœco pulſarat ab Orbe;
Nox abijt, te Sole dies oriente refulſit;

Illuminare ijs qui in tenebris &c.

Quæque priùs fuerat denſis mens tecta tenebris,
Quaſſaque peſtifero feralis turbine belli,
Et luſtratur ouans æterni lumine Phœbi,
Et fruitur placida, deuicto Acheronte, quiete.
Dixit; & humentes in Chriſtum vertit ocellos,
Spe ductus; grandique vltrò confiſus amori,

Pſalm. in te Domine ſperaui.

Talibus expendit Ieſſæi verba Prophetæ.
In te omnis, IESV, ſpes inclinata recumbit.
Cur Phlegetontæas trepidem moribundus abyſſos,
Inſidias dederis cùm iam ſuperare nefandas
Dæmonis, atque dolos, omneſque eludere gyros?

In manus tuas commendo ſpiritum mn

Auſpicijs, mi Chriſte, tuis nunc milito tutus.
Quàm finxere manus animam, tibi iure remitto;
Eſt opus illa tuum, te noſcit & illa ſatorem,
Ergò tuam, diuine Sator, dignare figuram
Suſcipere, ac tandem cœleſtibus addere Turmis.
Nec fatus plura, in formam conſurgit honeſtam.
Mox oculos, ambaſque manus ad ſydera tollens,
Commendaſque animam Matri, Prolique Beatæ,
Dulcia ridenti mittit ſuſpiria fronte,

Hora-

Horaque expirat, quam vaticinatus erat Vir.

Expirat Philippus.

Dùm gemitu, fletuq; graui Tectum omne resultat;
Talibus Aligerùm resonat concentibus æther.
Nunc age, serue fidelis, Oues cui Mater alendas
Virgo dedit, carique Ducem te legit Ouilis,
Euge, subi Domini penetralia sacra Tonantis,
Ingentique poli conscende ad gaudia plausu.

Audiuntur angelis hæc verba canentes Euge serue bone, & fidelis &c.

Mox cœlestis odor, cellamq; Domumq; per omnem
Spargitur, æstiuo dùm tellus flagrat ab igni,
Ac turpi squallent dilapsa cadauera tabo.
Tùm iubar à sancto radians diffunditur ore;
Cuius inextinctis fulgoribus omnia circùm
Collucent, tenebræ, Aurora vt veniente, fugantur.

Tum cadauer & Splendoré, & suaué per totam Domú odorem effundit etiam dum essent intolerabiles æstatis calores.

Terna replent animos magno portenta stupore.
Protinùs in lætos funebria murmura cantus
Mutantur, luctusque inter solemnia vota
Lætantis populi plausu ad sacra templa feruntur;
Aligerùmque, hominumque vna præconia voce
Corporis exanimis festo celebrantur honore.

Corpus ex magno Populi concursu non potuit sepeliri, & expositum mansit sex diebus, quibus non exequiæ defuncti, sed sancti triumphātis trophæa celebrantur.

Iam bis terna dies aberat, dùm Præsule, & vrbis
Consulibus coram, Plebisque fremente tumultu
Solemni ritu Mysteria sancta canuntur.
Iam Confessorem Mystæ venerantur, & ædes
Tota sonat Diui præclara laude Philippi.

Introitus Missæ fuit Gaudeamus omnes in Domino diem festú celebrantes. &c.

Mors pretiosa pios vitæ respergit odores,
Atque immutata terrentis imagine vultus
Mox hilares vitæ immortalis in ora nitores
Inducit, diuasque refert in copore formas.
Admouet ad rutilum plebs fusà numismata corpus,
Admouet Icones, Cererem, vestesque, corollasque,
Ac pretiosa putat, quæ vel lambère feretrum.
Quodlibet attigerit Sanctus, vel corpore quondam

Fœlix erat qui posset cadauer contingere vel vestes corollas & similia admouere.

 Ge-

Gestarit, vel sæpè suos mutarit in vsus,
Illa colit studio, & magno reueretur honore.
Corpora continuò lustrantur lampade multa.
Purpurei Patres, Proceres, Populique, Ducesque
Marmoreo inuisunt ossa intumulata sepulcro.
Effigies ærisque, eborisque, & marmoris arte
Effictæ celebri, delubra per omnia fulgent.
Tunc aræ insurgunt, tunc aurea vbique locorum,
Ad quæ Seruorum protenditur Ordo, sacella.
Illius augusti veniunt de nomine Cœtus.

Non solum Tuderti sed varijs in locis mox aræ constructæ, & Imagines Philippi in ædibus sacris expositæ.

Non vrbs vna pij solemnia festa Benizi
Excolit; in Latiæ varijs quoque partibus oræ
Sacra celebrantur geniali tempora more;
Instituuntur ibique preces, horaria pensa,
Muneraque exoluenda sacras hinc, indè per ædes.
Pontificum valida quamuis oracula voce
Magnifico nondum dederint genialia ritu
Festa coli, populi non auertere fidelis
Publica vota, preces, zelique exempla flagrantis,
Plebis at in Diuum diui tolerantur honores;
Nec noua Supremi statuerunt munera Patres,
Firmarunt sed prisca pio Diplomate vota.

Summi Pontifices nihil innouarunt sed priscos ritus confirmarunt.

Gesta Tudertini, qui iam dùm viueret, vltrò
Excoluere, Ducem communi voce perennem,
Rectoremque sui primum legere Senatus,
Religiosa licet sors ipsum incumbere rebus
Vrbis non sineret, tanti solamine Patris
Propitiora suis sperarunt Numina cœptis;
Nec voluere legi post vltima fata recentem,
Quòd foret è Cœlis patrias recturus habenas
Fidentes, rebusque magis fauturus in arctis.
Hic pietatis odor tantos spirauit amores

Tudertini dū viueret Ducē Senatus perpetuum elegerunt, nullumque post ipsius obitum præter ipsum voluerunt eligere cali in cælis protectore muniti.

Pecto-

Pectoribus, fuerint vt cuſa numiſmata, nomen
Sub quibus inſpicitur, Seruorum & ſymbola Cœtus.
Cum Cruce Pyramidem, quam lilia pulcra coronant,
Pars prodit, titulum pars exhibet altera Diui.
Signa characteres promunt vtrimque recocti.

Inuenitur cuſa moneta ex vna parte referens ipſius nomen, & ex altera repræſentans quædam ordinis Seruorum ſymbola.

Quid mirum, ſi tanta Viro monimenta decoris
Præbuerint homines, dùm claræ congerit in ſe
Virtutis ſummam, veterumque inſignia Patrum?
Nam ſapit à cunis, cuius præſagia mores
Antē ortum ſacros prompſere ſtupenda futuros.

Epilogus geſtorum Philippi inſignium.

Mira puellus agit, teneros Deus imbuit annos.
Hic diues; ſed temnit opes, almaque beari
Pauperie gaudet; Priſcæ propagine Gentis
Emicat; aſt apices Cœtus, mundique trophæa
Aufugit, vt purum reddat ſe munus Olympo.
Pectora nectareo dùm concitat ima lepore,
Ipſe ſibi præco veſtigia prima relinquit,
Cœleſtemque agitat mortali in corpore vitam.
Hi fuerunt mores, hæc duri immota Philippi
Secta fuit, ſeruare modum, finemque tenere;
Numinis arma ſequi, Socijſque impendere curas,
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo;
Iuſtitiæ cultor, rigidi ſeruator honeſti,
In commune bonus, nulli parcenſque labori,
Religionis amans, Cenſor, morumque Magiſter.

Quid referam Europen rixis purgaſſe malignis?
Sedis Apoſtolicæ indefeſſum egiſſe Patronum?
Et renuiſſe caput triplici Diademate cingi,
Spernere velle magis, quàm mundi ſceptra tenere
Omnia? Namque ſui cunctas victoria laudes
Exuperat, cùm terra pares decernere palmas
Non valeat, meritis nec proemia iuſta referre.

Multas in Europa rixas ſedauit defendit S. Sedem.

Om-

Omnia conuertit ſeſe in miracula rerum;
Quippè ſtupenda breui quæcumque peregerit æuo,
Quis memoret? ſat fantur adhùc è rupe ſcatentes,
Quos baculo iuſſit, lacrymiſque erumpere, fontes.
Quid morer in verbis, ſignis dùm tota coruſcis
Vita nitet, miriſque patent inſignia factis?
Quid mirum, ſi tanta piæ faſtigia gentes
Obſtupuere, ſacris & fibris vota vocarunt?

I. Vincentij Lucchefini ordinis Seruorum Generalis ope, & industria.

Hinc exſtructa vigent varios delubra per orbes;
Hinc erecta micant diuis ſimulacra ſub aris,
Nempè quadringentos à ſacra morte per annos.
At viſum eſt Superis, adſcribi nomina faſtis,

à Clem. Papa X. in faſtis Sāctorū adſcriptus flagitantibus Imperatore. Leopoldo I. & Coſma III. Duce magno Hetruriæ.

Decernique altos Aulæ ſtellantis honores.
Ordinis arte pia Seruorum lora Tenentis,
Atque ope Cæſarea, Gentis qui regna gubernat
Teutonicæ, Rhenique amplis dominatur in oris,
Vrgentique Ducis Thuſcorum numine Magni,
Aſſeruit coelo diuina voce Philippum
Mirificis Clemens applauſibus Vrbis, & Orbis.

Medica deſcriptio ſolēnitatis quam celebrauit Domus Florentina Diuæ Annunciatæ in feſto canoniz. S. Philippi.

Tàm Romana, ſacræ quàm ſingula Tecta Coronæ
Publica magnificis celebrarunt feſta triumphis.
Florentina Domus prima, & clariſſima Seruùm,
(Cuius nulla pios æquant præconia cultus,
Cuius apex rutilat multis haud Coetibus impar)
Ritibus in feſtis pompas ſupereminet omnes.
Hìc maculis ardent auro ſquallentibus ædes,
Luxuriantque oſtro inſtratæ, pictiſque tapetis;
Mille ibi dependent lychni laquearibus aureis.
Non tot ſyderibus magni Palatia Coeli
Scintillant, rutilis quot flagrant ignibus aræ;
Dixeris ex omni manare incendia templo.
Hìc ſurgit moles pulchris ſuffulta columnis;

Flori-

Floribus hìc textæ fulgent, baccisque corollæ;
Hinc, indè ornamenta patent, & machina multa.
Summorum eloquijs Præconum docta resultant
Pulpita; clara pij panduntur gesta Philippi,
Altaque magnificis clarent monumenta trophæis.
Artis Apellææ decus emicat omne, figuræ
Naturæ simulant nullo discrimine formas.
At Sculptura nitet doctis augusta Magistris;
Phidiacus superatur honos, & Mentoris artes,
Praxitelisque, noua sordescunt arte, labores.
Ingeniosa vigent tectis ænigmata verbis;
Nec minus exstimulant vegetas emblemata mentes.
Pierij hinc dulces produntur Apollinis ignes:
Aestuat ingenium, diuoque impellitur æstro;
Castaliæque vndæ sacris siccantur auenis.
Ignis in excelso Mariani culmine Templi
Missilis exstruitur, vastoque in Stemmate Coetus,
Artificum manibus, concluditur ordine puluis
Sulphureus miro, fragili sub arundine tectus.
Igniti varios tubuli per inane maniplos
Dispergunt, subitæ sinuosa volumina flammæ
Vibrantes, rara scintillant arte per auras.
Tùm globus erumpens coelestia Tecta lacessit,
Irradiansque Astris lucem sub nubila iactat,
Mox cessant spiræ, crepitantibus vndique flammis.
Talibus, atque alijs gaudet Florentia pompis.

Descriptio ignis missilis & pulueris sulphurei in Stemmate Religionis inclusi supra Templi culmina.

Inclyte Seruorum Pater, admirabilis Heros,
Maxima spes; Regimen, iugisq; columna Phalangis
Parthenicæ, Orbis honos, sydus, Rectorque pudoris,
Alme Philippe, mei custos, & pectoris ardor;
O Dux, ò Genitor, iam vitæ meta silere
Iure docet, finemque meis imponere dictis;

Apostrophe ad S. Philippum.

Sed

Sed fallor, non vita perit, ſed fauſta reſurgit
Nobiliore polo, claros ſortita triumphos;
Et iam fine carens, fructus decerpit amoenos
Vberiore ſolo, quam ſæcula nulla mouebunt,
Quam lædet nec triſtis hyems, nec noxius æſtus,
Anxia ſollicitam quam non opulentia reddet,
Et quam non moeſtam paupertas ſquallida, non mors
Obruet, aut nocuo vexabunt ſydere morbi.
Hæc mihi, Diue Parens, iam vita canenda recurſat.
Sed qua fronte dies auſim celebrare beatos,
Quem pudet inculto mortales ludere verſu?
Tàm pretioſa tubis fuerat vulganda ſonoris
Vita; nec æthereis mea par eſt buccina geſtis;
Sed tenuis, ſed rauca tuæ modulantis Auena
Prolis, honeſta pio conamine, facta Parentis,
Non tibi vilis eat; niſus admitte calentes;
Satque ſit in magnis duros tentaſſe labores;
Quò res cumque cadent, humilem dignare clientem.

Finis Benizidos, ad maiorem Dei gloriam, & B. Mariæ Virg. ac S. Philippi Benizi.

APPEN-

MIRACVLA
S. PHILIPPI BENITII
POST OBITVM.


p°225

APPENDIX
Thaumaturgidos, seù Miraculorum SANCTI PHILIPPI BENITII Ordinis Seruorum.

AVTHORIS EPIGRAMMATA OCTO.

IAM Patris in superas dilapsus spiritus auras,
Funereoque iacent pallida membra toro.
Iam Præsul,Proceresq; ferũt lugubria Tẽplo
Pignora; quisque sacrum tollere gestit onus.
Protinùs attonitam vulgata morte per vrbem,
Ad pia Tecta volans, plebs glomerata ruit.
Hic gemit, & deflet communis funera Patris,
Hic illum æthereos gaudet abisse polos.
Ille noui supplex orat solamina Diui,
Vndè sibi fidit propitiora dari.

Philippus post mortem sex dies inhumatus populo exponitur in Ecclesia.

Dùm parat exanimum Cœtus sepelire cadauer,
Et mœsto inferias soluere more pias,
Conuolat ad sacras plebs innumerabilis ædes,
Atque stupet, rutili cernit vt ora Viri:

Splendescit facies, & totum corpus suaues emittit odores.

Nam decus egregium formæ, vultusque nitentis
Expulit informis tristia spectra necis.
Iactat & ætherios effulgens corpus odores,
Quos sacer imbuitur, flatque repentè locus.
Publica funebres tùm ritus vota morantur,
Tantus erat plebis zelus, amorque piæ.
Vndique Turba venit mortali tabe laborans,
Cœlestisque petit, prona medentis opem.

Miracula coruscant.

Quot portenta micant! ò quot miracula mentes,
Corporaque infandis eripuere malis!

Ars procul hinc Circes, funestarumque potestas
Herbarum, procul hinc omne Acherontis opus!
Nam Pater Vmbrarum, diui simulator honoris,
Cùm vellet cultus Numinis habere pares,
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Mirisque eludit credula corda modis.
Audet cantatæ leges imponere Lunæ,
Sistit aquam fluuijs, vertit & Astra retrò.
Sæpè iubet manes imis exire sepulchris;
Sæpè nigro solidam carmine findit humum.
Nubilaque inducit, ventos abigitque, cietque,
Cùm lubet, & geminum sistit in orbe Iubar.
Commouet ille Polos, cogitque tremiscere montes,
Inque caput rapidas arte recuruat aquas.
Pallentes Hecates perfundit sanguine vultus,
Dùm libet, æstiuo prouocat imbre niues.
Plurima legiferi miracula tempore Mosis
Edidit, vt tanti fingeret acta Viri.
Tænario virgam molimine vertit in Hydram,
Quam tamen Aronis fortior hydra vorat.
Purpureo pingit fluuium Iordana colore,
Exhibet attonitis mille stupenda viris.
Omniaque Isacidæ simulat miranda potentis,
Subdola pro veris signa sed ille facit.
Fascinat elusos Stygia fuligine sensus,
Fallitque Aemonia lumina tincta pice.
Non valet ille haustas mortis de gurgite prædas
Fripere, extinctos nec renouare dies.
Quæ Natura negat Titania lumina coecis,
Pestifera fretus non potis arte dare.
Nec tribuit mutis vocem, viresque loquendi,
Fallere qui solitus, dicere vera nequit.

Ficta Dæmonis & magorum miracula

Non datur regressus de priuatione ad habitum seu formam naturæ viribus.

Talia

Talia Lethæas ſuperant miracula vires,
Formaſque elapſas non reuocare datur.
Non Acherontæis diuus Pater vtitur armis,
Dùm miſeris validam præbet amicus opem.
Hunc mouet æterni, ſummique potentia Regis,
Arbitrio rutili qui regit Aſtra poli,
Qui mare, qui terras, & Coelum numine complet,
Tartareique tenet clauſtra ſuperba Ducis:
Illius armatus Regis virtute Benizus,
Subijcit imperio cuncta elementa ſuo.
Callidus ignìuomi paret Dominator Auerni,
Paret & Aligerùm ſæpè verenda Phalanx.
Sed Natura ſuis paret quoque legibus vltrò,
Dùm iubet, & facilem præſtat amica manum.
Ipſa vel imperijs cedit mors dira colendis,
Reddit & ingeſtas, quas vorat ore, dapes.

Omnia ſubiacent Philippi Imperio ex diuino nutu & poteſtate agetis.

ARGVMENTVM.

Quædam virgo pedes, dexteramque manum contracta, per Parentes defertur ad feretrum Sancti Philippi, in quo ſex diebus corpus exangue populo exponebatur; vt primùm contingere potuit, ſanatur; fuit autem primum miraculum, quod ibi fecit, quodque maximam concitauit populi admirationem.

IAm Virgo contracta pedes, dextramque, Benizi,
Dùm iacet in feretro, prima requirit opem.
Attigit vtque ſuis corpus venerabile palmis,
Protinùs incolumes dextra, pedeſque manent.
Ne ſtupeas, Diuum dextram curaſſe, pedeſque,
Nam fuerat ſemper peſque, manuſque Dei.

Mulier, quæ à tredecim annis fluxu sanguinis laborabat, protinùs à Sancto Philippo sanatur.

QVos Mulier patitur refluentes sanguinis æstus,
Extinguit Diuus perpetis Author aquæ.
Iusserat è scopulis geminos erumpere fontes,
Hic resilit lacrymis, fuste sed ille scatet.
En facilè expellit putres de corpore flammas,
Qui sicco eduxit bina fluenta iugo.

De Muliere, quæ oblatrabat in Sancti Philippi miracula, & in plebem auxilia implorantem.

PRodigijs dùm sacra micant, signisque Philippi
Corpora, & æthereo vulgus honore colit;
Foemina sacrilegos, contracta nare, cachinnos
Torquet, & horrendos intonat ore sonos.
Sternitur ad terram; tùm lingua retorta palato
Hæret, & assuetos nescit habere modos.
Subsidium mox illa petit, Diuique sepulcrum
Corde rogat; grates libera lingua refert.
Gratia corda luit, soluitque repagula linguæ;
Garrula quæ fuerat lingua, soluta silet.

Mater inuenit Infantem à lupo occisum; antequam voraretur à lupo, illa defert mortuum ad Philippum nondum sepultum, mox Sanctus à mortuis suscitat Infantem.

DVm lupus infantem rabioso dissecat ore,
Et materna truci viscera dente ferit.
Tunc implorat opem Mater gemebunda Philippi,
Quem lupus occidit, redditur Agnus Oui.

Gemit

Gemit Mater, dùm modica farina, quam domi habet, desperat se posse familiam copiosam sustentare; orat illa Philippum, vt dignetur prouidere; mox ita crescit farina, vt plures in dies sufficiat.

IAm tristis Natos cum Matre premebat egestas,
Tot saturare aluos pauca farina nequit.
Tùm Mater confisa, pio rogat ore Philippum,
Moxque Ceres laribus multiplicata tumet;
Quæque famem sobolis nequijt placare diurnam,
Hanc aluit plures aucta farina dies.
Ne mirare Patrem modicas cumulasse farinas,
Qui Socijs panes fregit ab Axe datos.

Dæmones pelluntur à corporibus inuocato nomine Philippi.

DOemona, quid mirum, si vel post funera pellat
Corpore, qui viuens expulit ex animis?

Mulier quædam calculo laborans, adijt sepulchrum Diui Philippi, & facto voto, mox exit petra prodigiosæ molis, ibique appenditur.

CAlculus excruciat diuturno tempore corpus,
Exijt hic magnus, maior & indè dolor.
Maxima cura fuit; duplex nam petra mouetur;
Hæc renes agitat, corda sed illa premit:

Tria intercedente Sancto Philippo Benizio à Deo patrata prodigia, suam ergà Sanctum duliam testatus, Admodum Reu: Pater Laurentius Boulboul Cler. Reg. Minor Sacræ Congregationis Indicis Consultor, & Eminentissimi Cardinalis Ludouisij Theologus, Carmine efferebat.

Primum.

Cæcus à Natiuitate lucem recipit.

PRodijt in lucem Quidam, sed lucis egenus
Paruulus; hunc Titan irradiare nequit.

Cui

Cui pia non fuerat Natura, sed aspera Mater,
Edit vt in lucem, deserit in tenebris.
Rusticus ad tumulum genitor tulit ergò Philippi;
Quam Natura negat, Gratia præstat opem.
Solis equos Phaëton nescit frænare, videntes
Obruit, haud Coecis posse videre dabit.
Qui currum ascendit cum Virgine Matre Philippus,
Distribuit lucem, munera lucis habet.

Alterum.

Mortuus excitatur.

NAtus erat Viduæ, spes vnica, mortuus illam
Deserit, & miscet fletibus orba nouos.
Quid faciat? lachrymis vota, & suspiria nectens,
Ingeminat; natum redde Philippe meum.
Mortuus assurgit, sopor altus membra relinquit;
Restituit vitæ, meque Philippus, ait.
Quæ vitam dederat Vitæ, seruo ipsa Philippo,
Dante sibi hoc Nato, viuificare dedit.

Tertium.

Mira in corporis eius translatione.

TEr denos à morte, duósque absoluerat orbes
Sol, reserant tumulum quando Philippe tuum.
Exit odor, qualis quondam spirabat in horto,
Quo frueretur adhùc, ni cecidisset homo.
Cerea, quæ pendent illìc, anathemata, mirum!
Inclinata sacrum corpus & ipsa colunt.
Testantur gratos homines appensa fuisse;
Flexa sed esse notant munera vera Dei.

Compendiosus excursus per omnigena Diui Philippi miracula, vbi præcipuè eiusdem in Cacodæmonas, seu corporum, seu quod magis est, animorum obsessores, admirabilis potestas commendatur.

PETRI HENRICI SICVLI MAMERTINI.

EPIGRAMMA PRIMVM.

QVi Diui miracla velit numerare Philippi,
Lucida stelliferi computet Astra poli.
Millenus pes claudus init vestigia firmus:
Respiciunt Phœbi lumina cœca Iubar.
Redditur auditus patefacto tramite surdis:
Repperit amissos lingua soluta modos.
Diffugit ægroto pulsus de corpore languor:
Et renouat motus vena quieta suos.
Grata parat vitæ spiracula putre cadauer:
Arida digressus spiritus ossa subit.
Sed quid ego hæc alijs communia facta reuoluo?
Quid grauiore sono, Musa, canenda taces?
Te Thaumaturgum faciunt maiora, Benize,
Mirandumque probant prodigiosa magis.
Impia terrificæ cedunt tibi carmina Circes,
Et Stygiæ cedit Regia victa Domus.
Est aliquid morbos, est magnum vincere mortem;
Vincere Tartareum Dœmona maius erit.

Dùm ardentissima pleuritide laborat Iuuenis, imminente iam fato, precibus, ac votis cuiusdam Virginis, Deo in Claustris sacratæ, in Beatum Philippum effusis, pristina, ac meliori saluti restituitur.

Eiusdem Henrici.

EPIGRAMMA SECVNDVM.

AEger erat Iuuenis; flammisque armatus iniquis
Torquebat misero viscera adusta dolor;

Aestuat,

Aestuat, vt fornax, ardens pleuritide pectus,
Nec sopor, aut requies, nocte, dieuè datur.
Nullæ artes, nulla herba potens, medicamina nulla,
Nullius artificis dextra perita iuuat.
Desperata salus est: & iam pollice vitæ
Vltima fila trahit, iam fera Parca secat.
Hìc pia Vestalis, iuuenis charissima Neptis,
Parua, at pura tibi dona, Philippe, vouet.
Audisti facilis te, Thaumaturge, vocantem,
Semianimemque leuas prodigiose virum.
Protinùs abscedunt, cruciantes membra dolores,
It quoque ab accenso pectore flamma procul.
Redditur insperata salus; Thalamique iugalis
Consortem exclamans, viuimus, æger ait;
Viuimus auxilio Superùm; vidi ipse Benizum
Aethereo dantem talia verba sono.
Surge vir incolumis, tibi sacræ vota puellæ,
Mista prece, ac lachrymis robur amica ferunt.
Surrexit strato Iuuenis, cineresque Philippi
Inuisens, dona, vt vouerat illa, tulit.
O Mirum, ò mirando portentosius omni,
Tàm faciles prædas Mortis ab ore rapi!

Recensentur bina simul Diui Philippi Benizi prodigia; alterum vbi eiusdem lapideus tumulus nulla prophana vi, nec arte, nisi sacra Presbiteri attrectante dextera, loco moueri potuit; alterum, quo tumulum eundem ipsum cætera saxa, ac quæque obuiantia assurgentia, & de via cedentia venerabundum in modum exceperunt.

Eiusdem Henrici,

EPIGRAMMA TERTIVM.

IAm pia, quæ Diuo fulgebant templa Benizo,
Roserat, absumens omnia, tempus edax.

Corrue-

Corruerat, labente die, vetus ara ſepulchri;
Nec benè Relliquias, ſacra tegebat humus.
Certatim inſtaurant ex lecto altaria ſaxo
Addictæ Gentes, ac noua tecta ſtruunt.
Conſurgit paries, rutilo circumlitus auro,
Atque affixa tholis Indica gemma nitet.
Hùc inferre parant tumulum, cinereſque beatos;
Non tamen antiqua ſede mouere queunt.
Nequicquam nituntur equi, taurique iugales,
Nititur incaſſum multa prophana manus.
Defeſſos inter populos, turbaſque ſtupentes,
Conficere aſſuetus ſacra, Miniſter adeſt:
Vincláque contingit, lapidem quæ fortè ligabant,
Nec mora, conſequitur vincula tacta, lapis.
Conſequitur, ſeſeque noua dat in æde locandum,
Et peragit dextræ iuſſa repentè ſacræ.
Dùmque iter accelerat, venienti marmora cedunt,
Et faciunt latas obuia quæque vias.
Portenta oſtentent alij, ac miracula mundo;
Mirius eſt, ſaxis mollia ſenſa dare.

Terrifica, ac prodigialis tempeſtas Tudertinis animis, metum, præſentemque mortem intentans, ſublatis in altum veſtibus Beati Philippi, mirabiliter compeſcitur.

Eiuſdem Henrici.

EPIGRAMMA QVARTVM:

INgruerat crudelis hyems; Phæboque fugato,
Vmbra Tudertinam ſpiſſa tegebat humum.
Diſcordes Animæ ſpirant; contrarius Auſtro
Flat Boreas, Euro Lybs fera bella mouet.
Nix miſcetur aquis; terrenti murmure Cælum
Infremit, ac terris fulmina dira iacit.

Deucaleonæi metuebat temporis imbres
Vrbs pauida, & nullam mæſta videbat opem.
Fortè ibi tunc aderat Veſtis geminata Philippi,
Qua viuus texit membra, caputque Pater.
Fidentes populi captant, & in aëra tollunt:
At ſubitò fugiunt nubila, ventus, aquæ:
Ceſſat hyems, facies oritur ſpecioſior Axi,
Atque redit mundo lætus, vt antè dies.
Exclamare libet. Si quæ tetigere Benizum,
Tanta valent Tunicæ, quanta Benizus aget?

Florentini Ciues Tuderto pretioſas B.Philippi Reliquias inuidentes, clàm noctu per inſidias eripiunt, cùmque, vt indè Florentiam tranſuehebant, Iumenti dorſo impoſuerint, ac animal tota nocte iiſdem viis repetitis è Tudertino agro dimoueri noluerit, orta luce miraculo perciti, In antiqua Tudertina Sede Sacrum Tumulum reponunt, atque admirabundi in Patriam reuertuntur. R.P. Leonis Oratorii Aquenſis Superioris, olim Rhetoris, ac Maſſilienſis Collegii Præfecti.

I. EPIGRAMMA.

NOcturno rapitur Corpus venerabile furto,
Ne tanto vrbs timeas non ſpolianda bono.
Corporis ille ſui eſt cuſtodia certa Philippus,
Tàm vigili nequeunt milite membra rapi.

Septeno poſt Obitum D.Philippi vertente luſtro, dùm ad ſacri corporis Translationem conditorium, in quo humatum fuerat reſeratur, ſuauiſſimus exindè vapor emanat; necnon translatas Relliquias cerea, aliaque ex diuerſo genere anathemata ad altare vbi fuerunt illa ſecundò depoſita, admirabilem in modum ſponte conuerſa adorant, ac venerantur.

Eiuſdem: II. EPIGRAMMA:

SAncta diù tumulo latitantia membra Philippi,
Danda reducuntur nobiliore loco.
Exhalant placidum grati ſuffimen odoris:
Nam virtutis odor neſcit in orbe mori.

Ex

Ex ære, & ceris anathemata penſa ſepulcro
 Inſultant, corpus dùm gerit ara ſacrum.
Inſolito vellent præconia dicere cantu,
 Et meritum, & laudes muta metalla loqui.

Vir quidam, dùm inextinguibili igne tota domus penè conflagraret, in-iectis in flammam binis Diui Philippi ex Iunco crepidis, illæſa re familiari, mirabiliter incendia reſtinguit. R. P. Velin Rhetoris, ac Maſſilienſis Collegii Præfecti.

I. EPIGRAMMA.

NOn portentoſi tantùm valet vmbra Philippi,
 Quæ tetigere ſacram, mira dedere, cutem.
Inuolat incautas vulcania Peſtis in Aedes,
 Et querula igniuomus limina Turbo volat.
Scintillante crepant penetralia cæca furore,
 Deglutit fragiles dira vorago dapes.
In vacuos abeunt pretioſa monilia fumos,
 Flammata attonitus ſemina nutrit obex.
Interijt gemebunda Domus, niſi prouida cura
 Inſanam medica ſoluerit arte luem.
Clamat iò larium dominus, quid vana rotantur
 Præſidia? in noſtra ſtat medicina manu.
Ergò Philippeis crepidis incendia pulſat,
 Et iactu ſubitò detumuere rogi.
Nempè timet Soleas pyra religioſa verendas.
 Si tantum crepidæ, quid potuere pedes?

Fugatur, & expellitur vafer, ac veternosus Dæmon ex cuiusdam mulieris ædibus, vbi Ille simulans se Defuncti mariti familiarissimum, Ideòque velle educatoris vices ergà filium pubescentem agere, re autem vera ad perdendam vnà cum puero viduam Genitricem vnicè Intentus, iam totam Domum confuderat, Et in vltimam desperationem redegerat. Expulsio fit virtute mirabili D. Philippi astus Dæmonis retegentis, & abscessum Imperantis, ad opem ipsius mulieris, Deiparæ Virgini, ac sibi peculiariter addictæ.

Eiusdem. II. EPIGRAMMA.

IMmemor vxoris, sobolisque irrumpit in arma
Sponsus inhumanus, marmoreusque Parens.
Quas nodo meliore ligat Natura catenas,
Aestus amicitiæ dissociare tumet.
Nempè comes trahit infidum, facilique marito
Intempestiuos spirat eundo rogos.
Ast heù! ridiculum dùm tollit vterque trophæum,
Erigit alternas torua Mineruа cruces.
In castris grauis vrna latet, sociumque cruorem
Excipit in bibulo turpis arena sinù.
Audijt audaci nimium viduata marito,
Dimidiumque sui deperijsse dolet.
Ast vbi naturæ saturos dimisit amores,
Non finit æterno corda rigere malo.
Exsiccat meritas lacrymas, cæloque tenella
Verba refert. Viduas en tibi pando manus.
Spondeo secretos in Cœlibe limine soles
Ducere, & extinctas non animare faces.
Cor rapiat sponsus famulantis regula fati,
Indè immortales ambio sana Toros.
Esto igitur, Deus alme, comes, quem pectus anhelat,
Vnus & in docili sceptra Cliente regas.
Et tenerum pignus dignare, puerque, Parensque,
Quos natura prius gratia diua liget.

Dixit,

Dixit, & oppoſito mundi ſimulamina vultu
  Deſpuit à vetita proijcienda Domo.
Semina virtutis genitos diffundit in artus,
  Viuax in fœtu matris imago nitet.
Ah quoties iterat! fuge deteſtanda ſalutis
  Toxica, non tantas egerit hydra lues.
Heù fuge ſacrilegæ contagia fœda Iuuentæ,
  Sæuior, à dulci cuſpide plaga fluit.
Te feretro citiùs videam pallere ſupinum,
  Quàm ſibi virgineus deſpolietur honos.
Quàm cupidis ſoboles, virtutem præripit vlnis!
  Quàm caſto minio ſubrubuere genæ!
Moribus intactis ſuperos exhalat odores,
  Corpora & Aligeris conſociata putes.
Læta parens portenta ſtupet, miratur alumnum,
  Vix expectatas tranſilijſſe moras.
Attamen, ò liuor! malè ſplendet lubrica virtus;
  Et ſummum prenſat ſumma ruina gradum.
Erumpit Draco Tartareus flammante latebra,
  Dirigit in modicum grandia tela caput.
Verſutus coluber, veteris non immemor artis,
  Induit ambiguam, non ſua tecta, cutem.
Inuia rura petit, loca fœta albentibus vrnis,
  Hìc vbi triſte ſolum pondus inane tegit:
Mutas Relliquias, profugæque exanguia mentis
  Hoſpitia, impatiens inſidiator obit.
Exuuias inter putridas, deforme cadauer
  Induit, atque dolum membra renata docet.
Illius nam corpus erat, qui caſtra marito
  Suaſerat, huic ſocius cuſpidis, atque necis.
Ad veram properat viduam ſimulatus amicus,
  Non muliebre rudis fallere larua genus.

Irrorat docto pallentia limina fletu;
Particıpes gemitus, ſubdola corda ſonant.
Accelerat lamenta ſequens ſpoliata marito,
Lugubre prægreditur, neſcia fraudis iter.
Ecce noua ſub fronte redit ſanabile vulnus,
Motuſque indociles ira, dolorque cient.
En, inquit, mactator ades, vultuque cruento
Vxorem acceleras conſociare viro.
Præcipites violenta ſonos natura profundit,
At perit iniuſtus Religione furor;
Nempè tenax pietas motus inhibere rebelles
Nouit, & obliquum non ſinit ire iugum.
Pectoris in molles aditus vigil influit hoſpes,
Quod virtus aperit, carpit iniquus iter.
Voce minus loquitur, quàm lamentante loquela
Clamitat exanimi deproperaſſe necem:
Clamitat ad tumulum haud vxoria colla tuliſſe,
Addit, ſi culpa eſt, error amantis erat.
Vita mihi con ſorte vacans, mihi lugubre fatum,
In ſurdas quoties miſſa querela Deas!
Intereà me fata negant, fugiuntque ſequacem,
Nec ſemel intereo, qui voco mille neces.
Non mihi miteſcit non exorabile fatum,
Aſt tibi falcem auidam degenerare iubet.
Scilicet has lapſus moriturus amicus in vlnas
Ingemuit tremulis vltima verba labris.
Vxorem tueare meam, prolemque relictam,
Dixit & inflexum vox, animuſque fugit.
Ergò quod ſtudium non imploratus Olympus
Prorogat, in veſtros ſuppleat omne, lares.
Relliquias impendo lubens, quibus vrna pepercit,
Auxiliatricem non negat orba manum.

At

At primum sectatur opus fingenda iuuentus,
Dotibus egregijs inficienda manet.
Castalias fugiat lethalia tecta palæstras,
Pestiferam exhalat mixta caterua luem.
Mecum erit iste labor, mores stillabo verendos,
Pindique explicitus luxuriabit honos.
Titillat pueri teneris complexibus vlnas,
Doctoris renitet aura parentis amor.
Proh fatum! mendace parens delusa colore
Imperat agnellum subdere colla lupo.
Dogmate, at exemplo magis ingeneratur Auerni
Nequities, sternit dux sceleratus iter.
Quàm facilè insolitum effrenes scelus imbuit artus!
Non prægustato nectare corda madent.
Atra libido faces Stygio incandescere busto
Curat, & ignitum semen in ossa vibrat.
Nec templi pia iura placent, cumulata cupido
Erudit à fanis abstinuisse pedes.
Festiuos celebrare dies piget, hostia diuā
Displicet, haud cultus, sed mouet ara iocos.
Tot tandem patuere vices, contagia sentit
Mœsta parens fœdi dira venena ducis.
Fulminea increpuit moderatoremque, Clientemque;
Et patrium monstrum vertere terga iubet.
Debilior Mulier Dominum motare tenacem,
Cogitur in media pascere busta domo.
Imperiosus ouat genita cum peste Tyrannus,
Ridet fœmineas, irrita damna manus.
Quid peragat miseranda Parens? quì noxia vincla
Soluat, & hamato pignus ab vngue trahat?
Quanta agitant dubiam repetito vulnere mentem
Spicula! quàm densas sustinet ægra neces!

Fana petit, notaſque premit deflebilis aras,
Virgineos tentant vox, lachrymæque ſinus.
Errantem ſobolem, pia Virgo, redde Parenti:
Non vni pubes luxuriata ruit.
Nempè tua eſt, geminam tangit mors vnica Matrem,
Depoſitum dederam, reddat amica manus.
Dixit, & auritas fluido torrente per aras
Ingratam repetit calce tremente domum.
Vt primùm nigra clauſtra patent, occurrit honeſta
Effigies, quærit lugubre mentis onus.
Ipſa refert, nam quæque dolor ſolamina prenſat,
Et rigidi memorat ſemina lenta mali.
Ille hilari pingens præſagia dulcia vultu,
Hùc referat plantas peſtifer hoſpes, ait.
Iuſſa rapit puer imbellis, luctantia raptat
Membra, putrem verrit perfidus anguis humum.
Quid, clamat, pudibunda moues mihi bella, Philippe?
Labitur ad ſacros impia larua pedes!
Ecce ego, Tænarij memorat vetus incola regni,
Indueram exanimis fœtida membra viri.
Infeci niueos Stygia fuligine mores,
Et pepuli caſtos igne nocente rogos.
Prole triumphata, materna in viſcera moui
Tela, vigil cumulet bina trophæa labor.
Impuleram inuiſam valido tentamine Matrem,
Reſpuat vt ſolitas deſidioſa preces.
Virginis obſequium mollis lethargia ſoluat,
Et tener infido pectore cedat amor.
Fauſta coronaſſent longos ſi vota labores,
Et gelidam fugeret Virgo tremenda domum,
Corrupto fragilem temeraſſem palmite truncum,
Corrueret ſobolis fata ſecuta Parens.

Corpo-

Corpora ieiunus laniaret adultera morſus,
Vtraque mens tacitos viſeret vmbra lacus.
Audijt Aethereus tenebroſas aduena ſortes,
Atque tonante citam fulminat ore fugam.
Exitioſa nequit rabidus Draco ludere tela,
Euolat horrendos ingeminando ſoños.
Percutiunt tremulam peregrina cadauera ſedem,
Polluit hinc auras immedicatus odor.
Quæritur ambiguum nomen Domitoris Auerni,
Impleat vt memores gratia viua ſinus.
Noſtra Tudertinus colit, inquit lypſana ciuis
Chriſtiferæ Matris, voce Philippus adeſt.
Quàm formidandus, clamant, fuit ipſe Philippus,
Quando Erebi vires illius vmbra domat!

De quibuſdam aliis miraculis S. Philippi Benizi ab Adm. R.P.Petro Bolla Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ Procuratoris Generalis.

EPIGRAMMA I.

ARGVMENTVM.

Puer ex debilitate tibiarum ſanatur.

NAta fuit Proles matris ſic debilis aluo;
Vt non bima ſuo nouerit ire gradu.
Ergò parens nati ſortem miſerata ſiniſtram,
Pharmaca de Cælo prodigioſa rogat.
Dùmque Philippeam pia vota litaſſet ad vrnam;
En reduci Proles obuia facta ſalit.
Ne mirare pedes Puero ſtatuiſſe Philippum;
Pectora qui ſtatuit non benè recta virùm.

Puer ex casu mortali reuiuiscit.

Eiusdem. EPIGRAMMA II.

FOrtè Pater lusit iuxtà cum Prole fenestram,
Cùm puer in præceps corruit è manibus.
Ocyor accurrit, releuat, demulcet; at omnis
Cernitur è membris iam perijsse vigor.
Quid miser, inquit, agam? ni te, Pater alme, requiram,
Qui facis ad tumulum mira, Philippe, tuum?
Dixit: & exanimem Diui super ossa reclinat;
Mox tepet, & vita mox meliore viget.
Quam Pater elisit vitam, dat, Nate, Philippus,
Dic vter ex illis, est tibi iurè Parens?

Parentes infantem antè memoratum, iam rediuiuum mutato nomine vocant Philippum.

Eiusdem EPIGRAMMA III.

DVm redit à busto soboles benè sana Philippi,
Gestit vterque Parens, gratus & esse cupit.
Si liceat, sacro cupiunt tinxisse renatum
Fonte, sed hoc vetitum; quod licet, illud agunt;
Voce noua idcircò decorant, titulantque Philippum,
Nomine de proprio noscat vt ille Patrem.

Phreneticus ex febri sanatur.

Eiusdem EPIGRAMMA IV.

INsanit quidam, febri prostratus acuta;
Spesque super misero nulla salutis erat.
Cui soror auxilium præsens latura, Philippi
Ad tumulum properat, vota, prècesque ferat.
Instat, vt ægrotus redeat rationis ad vsum,
Dùm vitæ maculas expiet ille suas.

Proti-

Protinùs æger, ait, Mysten mihi sistite sacrum,
Crimina cui pandam pectoris atra mei.
Quod petijt, potitur, reparant & membra salutem;
Qui maiora dedit, non negat ille minus.

Filius vnicus matri viduæ morte ereptus, à S. Philippo ad vitam reuocatur.

Ab Authore Benizidos Vltimum EPIGRAMMA.

VNicus à Vidua, properata morte, parente
Eripitur, feretris exanimisque iacet.
Mater vbi lacrymas effundere nouit inanes,
Et querulo cassos ore ciere sonos,
Admouet ad Sancti tumulanda cadauera Patris
Prolis, inardenti, frigida membra, fide.
Ad lucem extemplò reuocat, mirabile dictu!
Puberis, extinctus, mortua membra, Pater.
Mors mortem trudit, frigus lethale calorem
Suscitat, & gelido Corpore vita redit.
Sed ne tanta Viri stupeas miracla sepulti,
Vrget in exangui puluere vita poli.
Qui Viduæ, viuens dedit olim surgere Prolem,
Huic dat, vt ad vitam mortuus ossa vocet.

FINIS.